lio cadentibus, & quando quærimus, an viſio determinet Beatum, ac neceſſitet ad optimum in omni genere virtutum, loquimur ex hypoteſi, quod actus illi meliores ſint tantùm ſub conſilio, non autem ſub præcepto; ſi enim ſupponamus tales actus eſſe Beato præceptos, indubium erit, quod ſit determinatus, & neceſſitatus ad illos, cùm ſit phyſicè impeccabilis ob negationem concurſus parati, ſeù in actu primo indifferentis ad oppoſitum; quarè ſi lex, quæ in nobis eſt conſulens, in Beatis eſt præcipiens, iam auctoritas illa non eſt contrà nos, quia in præſenti loquimur de conſiliis; Re autem vera, cùm inquit ibi Doctor, Beatum habere præceptum de ſemper operando optima, non loquitur in ſenſu noſtro, quia loquitur de peccato veniali, quod inquit eſſe contra conſilium, non quidem propriè dictum, ut hìc à nobis ſumitur, ſed quatenus importat legem divinam obligantem ad aliquid non quidem neceſſarium ad finem legis conſequendum, ſed tantum utile; & ait hoc peccatum, quod in nobis eſt veniale tantùm, ſi per impoſſibile daretur in Beatis, eſſet mortale propter præceptum, quod habent de ſemper operando optima, hoc eſt, nunquam agere contrà divinam legem obligantem ad aliquid abſolutè, ſive illud ſit utile, ſivè neceſſarium ad finem legis, quia maiorem obligationem habent Beati de evitando peccatum veniale (ſi peccare poſſent) quàm nos modò habemus propter donum beatificæ viſionis; Ex quo patet non loqui de optimis nobis inſinuatis per conſilium propriè ſumptum, quod ab omni obligatione præſcindit, ideoque contrà ipſum agens non peccat, quo ſenſu hìc dicimus, Beatum non eſſe ad optima determinatum, ac neceſſitatum in actu primo.

104 Quartò arguunt quibuſdam auctoritatibus Scripturæ, & Patrum, quibus ſignificatur, nedùm Chriſtum ſecundum humanam voluntatem à divina nunquam diſcordaſſe, ſed nec etiam id facere potuiſſe, adeut etiam in actu primo fuerit ſemper ad meliora determinatus, ac magis Deo placentia, ità colligitur ex Ioan. 6. *Deſcendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me*, & cap. 8 *quæ placita ſunt ei facio ſemper*. Et *cap.* 5. *Non poteſt filius facere quicquam, niſi quæ Patrem viderit facientem*, quæ loca Chryſoſtomus, Cyrillus, Cæſarius, & alii Patres explicant de Chriſto, ut homine, & in eo ſenſu, ut voluntas humana Chriſti ſemper fuerit divinæ conformis, tam in præceptis, quàm in conſiliis exequendis; itaut ſaltem moraliter loquendo aliter facere non potuerit.

105 Reſpondeo, in communi modo loquendi uſurpatum eſſe, ut quæ nunquam de facto eveniunt, licet evenire poſſint ſine ulla repugnantia etiam morali, dicantur evenire non poſſe, quem loquendi modum etiam ipſa ſacra Scriptura frequenter uſurpat, ut ex pluribus locis probat Pater Bellutus Collega meus *loc. cit.* quarè auctoritates adductæ accommodatè intelligi debent, ut nimirum quoad opera præcepta intelligantur de negatione potentiæ proximæ; quoad conſilia verò de impotentia ſecundum humanum ſenſum. Quod ſi quis ex vi illarum auctoritatum ſaltem deducere velit in Chriſto moralem neceſſitatem ad meliora, non reluctor; quia hac non obſtante adhuc optimè ſalvatur libertas in Chriſto ad meritum ſufficiens, qualiter reperitur etiam in nobis Viatoribus, ut patet de confirmatis in gratia, qui in ſuis operibus merentur, etiamſi moralem habeant neceſſitatem bene operandi ex uberioribus divinæ gratiæ auxiliis; & ratio eſt, quia moralis neceſſitas uti non excuſat à peccato, ut patet in peccatis venialibus, à quibus non excuſamur, etſi moraliter ea omnia collectivè ſumpta evitare non poſſimus; ità etiam è contrariò non obeſt merito.

QVÆSTIO QVINTA.

An voluntas humana Chriſti fuerit ſemper conformis divinæ.

106 PRima opinio diſtinguit inter voluntatem efficacem, & inefficacem; efficax voluntatis actus hoc loco dicitur, qui eſt principium operandi, & movet ad operationem, vel executionem; inefficax verò, qui non eſt principium operandi, ſed conſiſtit in ſimplici complacentia boni, vel diſplicentia mali; prior actus eſt abſolutus, & ab omni conditione independens; poſterior verò tametſi in ſe quoque ſit abſolutus, aliquando tamen, & regulariter annexam habet conditionem; quarè hac voce explicatur, hoc bonum mihi placet, & vellem facere ſi non eſſet impedimentum. Itaque prima opinio hac præmiſſa diſtinctione dicit, humanam Chriſti voluntatem efficacem ſemper fuiſſe Deo conformen, nam velle aliquid efficaciter divinæ voluntati contrarium, videtur eſſe peccatum, quod Chriſto repugnat; inefficacem verò concedit aliquando fuiſſe diuinæ, difformem, & talem fuiſſe dicunt, qua recuſauit mortem, Lucæ 22 alioquin malè ſubdidiſſet, *non mea voluntas, ſed tua fiat*, niſi aliqua eſſet inter unam, & alteram contrarietas; non fuit autem ea uoluntas efficax, eo quia corrigebatur per aliam uoluntatem fortiorem ſuæ propriæ uoluntatem Dei præponentem, ergo inefficax.

107 Secunda verò opinio nec quidem in voluntate inefficaci contrarietatem ullam vult agnoſcere in Chriſto cum divina; nam licet Chriſtus inefficaciter voluerit obiectum contrarium voluntati divinæ v. g. mortis fugam; eam tamen dicit volitam fuiſſe ſub motivo vitandi graviſſimos dolores, & ignominiam; Deus autem etſi è contrà optabat mortem, non tamen ſub eo motivo, ſed quatenus talis mors futura erat cauſa redemptionis humani generis, quæ proindè voluntates contrariæ inter ſe non ſunt cenſendæ, quia ſunt ex diverſis motivis; ità Recentiores quamplures. Tertia tandem ſententia videtur è contrariò agnoſcere etiam in voluntate efficaci contrarietate cenſent enim Chriſtum aliqua voluiſſe efficaciter, quæ non ſunt impleta, & conſequenter oppoſitum videtur Deus efficaciter voluiſſe; & talem cenſent fuiſſe in Chriſto voluntatem recuſandi mortem in horto, & ità ſentire videtur Hurtadus *diſp. 75. ſect. 3.* ubi docet Chriſtum deſiderio efficaci recuſaſſe mortem, & non ſola velleitate.

ARTICVLVS PRIMUS.

Vera ſententia ſtatuitur.

DIcendum cum prima ſententia, voluntatem efficacem Chriſti ſemper fuiſſe divinæ conformem; inefficacem verò aliquando difformem, atque ità voluntatem Chriſti voluiſſe paſſionem actu efficaci, noluiſſe vero actu inefficaci, quia actus conditionatus non eſt efficax, ſed inefficax. Concluſio eſt Scoti quoad utramque partem 3. *diſt.* 15 *q.* un. Q. & R quod primam partem de voluntate efficaci probatur communi fundamento primæ ſententiæ; quoniam adverſari divinæ voluntati efficaci, & abſolutæ iam notæ, & manifeſtatæ, ſicut erat voluntas diuina de ſubeunda morte pro ſalute generis humani, eſt imperfectio Chriſto omninò repugnans. Confirmatur, quia ſi actu efficaci voluiſſet mortem, iam ſimul habuiſſet duos actus oppoſitos efficaces, & abſolutos de eodem obiecto, ſcilicet, volitionem, & nolitionem eiuſdem mortis quod implicat.

108 Reſpondet Hurtad. nolitionem mortis in Chriſto fuiſſe conditionatam, adhuc tamen fuiſſe efficacem, & inquit Chriſtũ prius ratione recuſaſſe mortem, quàm nouerit diuinum decretum mortis, quam ſolutionem etiam approbat Arriaga *diſp.* 42 *ſect.* 1. ubi inquit, utiq; verum eſſe, quod ſi Chriſtus prius natura noverat aliquod efficaciter à Deo volitum, non potuiſſe velle contrarium efficaciter, quia noverat impoſſibile eſſe voluntatem efficacem Dei reipſa fruſtrari; quia tamen Chriſtus non fuit in ſuis motibus voluntatis directus ſcientia Beata, quia intuebatur, quid Deus vellet, ſed infuſa, quia nil noverat de volitione diuina; potuit de facto etiam efficaciter velle aliquid contrarium voluntati diuinæ, nam eo ipſo, quod pro priori naturæ antè volitionem non ſciret humanitas Chriſti, quid Deus vellet, poterat efficaciter velle aliquid, cuius oppoſitũ reipſa Deus efficaciter volebat; Vndè deducit, rationẽ ſuprà allatam ad probandum non potuiſſe Chriſtum habere voluntatem efficacem divinæ contrariã, quia ſequeretur eum peccaturum, non eſſe ſufficientem, niſi pro priori antè volitionem noſceret humanitas quid Deus vellet quod tamen nõ ſit per viſionem beatã, ut illa ratio ſupponi, cùm nequeat beata viſio Chriſtum dirigere ad operandum liberè.

109 Verum hoc totum gratis dicitur, quod nequeat Chriſtus à ſcientia beata dirigi ad operandum liberè, iam enim oſtendimus *diſp.* 3. de merito *q.* 9. ex ſpeciali priuilegio, quo Chriſtus erat Viator ſimul, & Comprehenſor, habuiſſe pariter, ut cum beata Viſione haberet ex ſpeciali diſpenſatione talem libertatem, qualis ſufficiat ad merendum; cùm ergo Chriſtus à primo inſtanti ſuæ conceptionis omnia perfectiſſimè noverit in Verbo, & pluries diſcipulis ſuis ante tempus paſſionis hoc myſterium manifeſtaſset; ut ab æterno decretum pro humani generis redemptione, ſive hoc nouerit per ſcientiam infuſam, ſiuè per beatam planè omninò ridiculum eſt dicere, quod in horto orans erat inſcius diuini præcepti, & decreti de morte ſubeunda; Ac conſequenter falſum eſt actum illum fuiſse efficacem nolitionem mortis, ſed aſſerendum eſt, fuiſse inefficacem conditionatam, & ſimplicem mortis nolleitatem, Neque urget, quod inquit Hurt. redemptionem ortum traxiſse à Chriſto, non ut in utero, ſed ut in horto, & ut in viro perfecto, ideoque in præviſione Dei abſoluta prius fuiſse exiſtentiam in horto, & orationem, dependenter à qua viſa eſt acceptatio præcepti. Non urget, inquam, quia acceptatio præcepti fuit facta in primo iſtanti conceptionis, quamvis non fuerit adimpletum, niſi poſt triginta tres annos; ergo non incepit in horto, neque in præviſione Dei fuit, ut in horto tantum exiſtens præviſa.

Confirmatur quia alioquin ſequeretur, fuiſse in Chriſto aliquam voluntatem efficacem, quæ impleta non fuiſset, vel ſaltem talem voluntatem habere potuiſse; quod eſtò concedat Arriaga, nullatenus tamen concedendum videtur ex Scot. in Repor-

tatis *diſt.* 17. *q.* 2. quia ſi Chriſtus abſolutè, & efficaciter voluiſſet aliquid fieri, quod poſteà non fuiſſet impletum, ſequeretur ipſum vel ignoranter voluiſſe, vel imprudenter; quia vir prudens ſemper agit ex plena deliberatione, & omnibus circumſtantiis conſideratis; Cùm igitur Chriſtus prudentiſſimus eſſet, & haberet perfectam notitiam divinæ voluntatis, non poterat non attendere in qualibet actione ſua divinum beneplacitum, ut rectè deducit Suarez *diſp.* 3. *ſect.* 5. ergo nunquam voluntas Chriſti efficax fuit divinæ voluntati contraria, ſed ſemper conformis. Denique non fuit in Chriſto propriè loquendo contrarietas voluntatum, ſeù in duabus Chriſti voluntatibus non fuerunt actus efficaces contrarii, ut ſancitum eſt in 6. Synodo act. 4. ubi in Epiſtola Agathonis Papæ ſic dicitur *prædicamus duas naturales voluntates non contrarias*; ergò nolitio mortis in Chriſto efficax eſſe non potuit, quia tunc voluntas humana fuiſſet divinæ contraria, quæ illam efficaciter volebat. Nec valet, quod inquit Arriaga, ideò non fuiſſe contrarias, quia pro eo priori non noverat Chriſtus, quid Deus vellet, undè formaliter, & expreſsè nihil voluit divinæ voluntati contrarium. Non valet, quia in quacunque actione ſua optimè noverat Chriſtus, quid Deus vellet, ut habetur Io. c. *Non poteſt filius facere à ſe quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem, & cap.* 8. *Ego quæ placita ſunt ei facio ſemper.* Tùm quia, quando etiam in eo priori non noviſſet Chriſtus, quid Deus vellet, attamen volendo aliquid efficaciter, cujus oppoſitum reipſa Deus efficaciter volebat, jam reipſa ſaltem materialiter voluiſſet aliquid divinæ voluntati contrarium.

112 Quo autem ad alteram partem, quod Chriſtus aliquando habuerit aliquam voluntatem inefficacem, & conditionatam divinæ voluntati difformem, probatur ex Evangelio *loc. cit.* Lucæ 22. ibi enim Chriſtus ipſe inſinuat ſuam voluntatem fuiſſe aliquo modo divinæ contrariam, alioqui malè feciſſet adverſativam illam. *Non mea voluntas ſed tua fiat*, nam hæc adverſativa planè indicat aliquam fuiſſe contrarietatem inter illas voluntates; non fuit autem ea voluntas efficax, quandoquidem corrigebatur per aliam voluntatem fortiorem perferentem voluntatem Dei ſuæ propriæ; ergo fuit voluntas inefficax, atque ità inefficaciter voluit aliquid divinæ voluntati contrarium.

Reſpondent Auctores ſecundæ opinionis nolitionem mortis in Chriſto non fuiſſe divinæ voluntati contrariam, quia contraria ſunt de eodem, & ſecundum idem, atqui Deus voluit Chriſti mortem, tanquam medium redemptionis humanæ; voluntas autem Chriſti noluit mortem, tanquam ſibi diſconvenientem, non ergo hæ duæ voluntates ſunt de eodem obiecto formali, quia Chriſti voluntas non ſub eadem ratione, & conditione propoſitam mortem refutabat, ſub qua illam divina voluntas proponebat; & hac ratione præſertim Amicus *diſp.* 25. *ſect.* 1. defendit humanam Chriſti voluntatem non fuiſſe divinæ contrariam. Sed Contrà, quia volitiones non ſolùm dicuntur eſſe contrariæ ex oppoſitione in motivis formalibus, ſed etiam ex obiecto materiali, ſi enim quis ambulare velit propter ſanitatem, & alter ambulare nolit ad ſomnum capiendum vel ſacrum audiendum; adhuc iſtæ cenſentur volitiones contrariæ, licet ſint propter diverſa motiva, quia verſantur circà idem obiectum materiale, & ratio eſt, quia actus illi ſemper retinent totam ſuam contrarietatem, ſivè propter hoc, ſivè propter illud motiuum ſiant. Tùm quia alioquin ſequeretur peccatorem, ut plurimum, diuinæ voluntati non contrariari, quia diuina voluntas mendacium v. g. prohibet, vel furtum, quia malum in ſe; mendax autem, vel fur vult illud, non quia malum in ſe, ſiquidem nemo aſpiciens ad malum operatur, ſed quia utile, & adulterium, quia delectabile.

13 Reſpondet Bellutus *diſp.* 12. *qu.* 5. *n.* 132. cum Lugo *diſp.* 1. volitionem, & nolitionem mortis non fuiſſe in Chriſto actus contrarios, quia volitio fuit actùs abſolutus, & efficax, nolitio verò conditionatus, & inefficax, qui actus nõ opponuntur inter ſe, conſtat enim manifeſtè nos paſſim habere ſimul, & ſemel volitionem efficacem ejuſdem obiecti propter unum motivum, & inefficacem ejuſdem propter aliud; ut patet de proiiciente merces in mari metu naufragii, vult enim efficaciter illarum projectionem ad conſeruandam vitam, & eam inefficaciter non vult, ut ſuorum bonorum deſtructiuam; undè concludit, nolitionem mortis in Chriſto non fuiſſe difformem, vel contrariam volitioni diuinæ ejuſdem, ſed quaſi diſparatam; nec aliud indicare verba illa *non mea ſed tua voluntas fiat*. Sed Contrà, quia ſi per contrarietatem intelligatur repugnantia naturalis, ut ſimul, & ſemel eſſe nequeant illæ volitiones, fateor non eſſe contrarietatem in hoc ſenſu inter eas ob rationem datam; Sed ſi contrarietas in actibus voluntatis latius ſumatur pro oppoſitione ex genere ſuo, falſum eſt in hoc ſenſu contrarietatem non reperiri inter volitionem efficacem, & nolitionem inefficacem reſpectu eiſdem obiecti, quamuis enim, quia illa eſt in gradibus remiſſis, poſſint ſimul cohærere in eadem potentia actus illi, ſicut calor, & frigus habitus vitioſus, & virtuoſus, hoc tamen non tollit oppoſitionem inter eos actus ex genere ſuo, ſicut calor, & frigus, habitus vitioſus, & virtuoſus ſimul cohærentes in gradibus remiſſis adhuc dicuntur contrarii ex genere ſuo ex dictis *diſp.* 1. de genere, & corrup. qu. 5. art. 1. n. 53. undè inefficacia nolitionis facit eam veluti remiſſam in genere oppoſitionis, & quod ſit in calore, & frigore per ablationem graduum, ſit in his volitionibus ex modo ſendendi in obiectum idem efficaciter, & inefficaciter. In hoc igitur ſenſu negari non poteſt, quin nolitio mortis in Chriſto inefficax fuerit contraria, & oppoſita divinæ volitioni ex genere ſuo, & longè pluſquam diſparata, ut loquitur Bellutus.

At rurſus inſtat, quia non ſolum volitio abſoluta mortis in Chriſto fuit conformis diuinæ voluntati, ſed etiam ipſa nolitio; etenim diuina voluntas utrumque actum exegit in Chriſto; volitionem exegit, tanquam neceſſariò requiſitam ad meritum paſſionis, nolitionem verò, ut magis augerentur dolores Chriſti, videns enim diuina voluntas, quod humanitas Chriſti alacri animo paſſionem amplectebatur, undè dicebat *deſiderio deſideravi* &c. idcircò voluit diuina voluntas, quod humanitas Chriſti hanc nolitionem conditionatam eliceret, ex qua maxima triſtitia ortum duxit. Verum hæc inſtantia probat ſolum, quod humana voluntas fuit divinæ conformis in volito formali ex parte obiecti, ſed non ex parte rei volitæ ſivè in obiecto materiali; Deus enim volebat, Chriſtum habere naturalem diſplicentiam mortis, ut hac ratione oſtenderet ſe eſse verum hominem; nihilominus ex parte rei volitæ, ſivè in obiecto materiali non fuit conformis, ſed difformis, quia diuina voluntas efficaciter volebat, quod Chriſtus moreretur pro ſalute Mundi, ut autem in actibus voluntatis adſit contrarietas, ſufficit ut oppoſito modo verſentur circa idem obiectum materiale, ut ſuprà oſtenſum eſt, & concedit ipſe Bellutus *loco cit n.* 128. in fine. 114

Quamuis igitur valdè probabilis ſit ſecunda ſententia negans Chriſto voluntatem omnem etiam inefficacem diuinæ contrariam, quam plerique graues Recentiores etiam ex noſtris ſequuntur, ut Suarez, Amicus, Bellutus, Lugo, Orlandus, & alii; adhuc tamen probabilius cum Arriaga cenſeo, Chriſtum habuiſſe aliquando aliquam volitionem inefficacem diuinæ contrariam, & talem fuiſſe nolitionem mortis; licet fuerit ex diuerſo motiuo ab eo, quo efficaciter volita fuit à Deo; quia volitiones, ut dixi, non tantùm contrariæ dicuntur ex oppoſitione in motiuis formalibus, ſed etiam ex obiecto materiali; nam qui inefficaciter optat fugere mortem patibuli v. g. propter infamiam, utrumque fugit, & mortem, & infamiam, licet unum propter aliud; undè qui mortem illi vellet, licet propter aliud motiuum, ut Iudex volens illi mortem in pænam patrati delicti, opponitur illi, non in puncto infamiæ, ſed in puncto mortis, quàm unus vult, & alter non vult ſimpliciter, & licet inefficaciter; ergo voluntas illa Chriſti cùm ſimpliciter fuerit fuga mortis, etiamſi ob diverſum motiuum ab eo, quod Deus habebat ad volendam Chriſto eandem mortem, fuit ſimpliciter illi contraria, ſi non in motiuo formali, ſaltem in obiecto materiali, quod per unam voluntatem odio habebatur, per alteram verò amabatur, ut conſtat in exemplo allato de damnato ad patibulum, cujus voluntas inefficax de non moriendo propter infamiam contrariatur voluntati efficaci, quam habet Iudex, ut moriatur propter juſtitiam; quia voluntas Iudicis licet non opponatur illi in puncto infamiæ, adhuc tamen opponitur in puncto mortis. 115

Dices, non valere paritatem, quia contrarietas ceſſat in Chriſto, eò quod eſſet ſimul in Chriſto alia ſecunda voluntas efficax, qua diuinæ conformabatur, quæ quidem voluntas non reperitur in reo ad patibulum damnato. Sed Contrà, quia per hoc ſolùm inducitur conformitas in hac ſecunda voluntate; non tamen tollitur difformitas, & contrarietas in prima; verum eſt tamen, quod ratione iſtius ſecundæ voluntatis contrarietas, & difformitas, quæ eſt in prima, nullam habet annexam malitiam, ac deformitatem moralem, quia per hanc ſecundam ità corrigitur illa prima voluntas, ut diuinæ ſubiiciatur, tanquam principio, & regulæ ut conſtat ex illis verbis, *non ſicut ergo uolo, ſed ſi ut tu*, qua ratione dici poteſt, quod etiam prima voluntas conformis erat voluntati diuinæ, tanquam principio, & regulæ, & hac præciſè de cauſa putant Auctores ſecundæ opinionis illas voluntates nunquam fuiſſe contrarias. 116

Aliqui tandem gratis concedunt, inefficacem voluntatem Chriſti non ſemper fuiſſe conformem divinæ voluntati in re volita; negant tamen hinc rectè deduci, quod fuerit illi contraria, vel repugnans, quia repugnantia tantùm eſt inter voluntates efficaces, non autem inter unam efficacem, & alteram inefficacem; undè licet Chriſtus habuerit affectus inefficaces circa obiecta, quæ Deus abſolutè volebat, ejuſdem tamen affectus non aufertur conformitatem abſolutam, ſicut nec afferunt contrarietatem propriam, cùm non opponatur ſimpliciter voluntas abſoluta unius obiecti, & voluntas inefficax oppoſi- 117

poſiti; itâ Beccanus *cap. 13. qu. 4.* quod colligit ex illis verbis, *non ſicut ego volo, ſed ſicut tu,* nam ex primis verbis colligitur difformitas, quaſi diceret, ut vis mori, & ego refugio mortem; ex poſterioribus verò deducitur, quod ea prior voluntas non ſit repugnans, & contraria diuinæ, eſt enim ac ſi diceret, cùm utrumque fieri non poſſit, fiat quod tu vis, & non quod ego volo. Sed rurſus hic replico, quod ſi per contrarietatem intelligatur repugnantia naturalis, ut ſimul, & ſemel eſſe nequeant in eadem voluntate, & reſpectu ejuſdem obiecti volitio efficax, & nolitio inefficax; fateor ex difformitate inter illas non bene deduci talem contrarietatem, ac repugnantiam; ſed ſi ſumatur pro ſola oppoſitione ex genere ſuo, modo jam explicato *n.* 123. nego, quod ex ea difformitate non deducatur talis oppoſitio inter volitionem efficacem alicujus obiecti, & nolitionem inefficacem ejuſdem, & licet verum ſit, contrarietatem primo modo ſumptam non reperiri niſi inter volitionem, & nolitionem efficaces; attamen contrarietas ſecundo modo ſumpta reperiri poteſt inter unam efficacem, & alteram inefficacem, ut oſtendi *n.* 125. exemplo de reo ad patibulum damnato; & licet ex poſterioribus verbis inducatur conformitas in voluntate abſoluta moriendi, non tamen tollitur difformitas, & repugnantia nolitionis inefficacis mortis cum divina voluntate, ſed ſolùm itâ corrigitur, ut non ſit imputabilis ad culpam, nec ullam inuoluat malitiam moralem; Ex quo tandem concludo quæſtionem hanc multùm habere de nomine, & fortè in re nos conuenire cum ſecunda ſententia; quæ intantùm nullam vult agnoſcere contrarietatem in voluntate humana Chriſti cum diuina, quando inefficaciter mortem refugiebat, quia talis affectus inefficax non auferebat conformitatem alterius volitionis abſolutæ, & efficacis mortis, quam Chriſtus habebat; nec afferebat contrarietatem propriam cum voluntate diuina; quod totum nos quoque concedimus, aſſerentes hanc contrarietatem non eſſe rigoroſam, in genere phyſico, qualis eſt inter calorem, & frigus in eſſe ſummo, ſed talem, qualis eſt inter ea in gradibus remiſſis, ſub quibus adhuc dicuntur oppoſita ex genere ſuo; ſic, inquam, dicimus opponi affectum inefficacem circà vitam, & affectum efficacem circà mortem.

ARTICULUS SECUNDUS.

Obiectiones ſolutæ.

118 IN oppoſitum arguitur Primò pro ſecunda opinione nullam fuiſſe prorſus contrarietatem voluntatis humanæ Chriſti ad diuinam, etiam in nolitione inefficaci mortis; nam ea tantùm voluntas opponitur alteri, quæ opponitur obiecto ipſius; Sed Chriſti voluntas inefficaciter mortem refugiens non ſic opponitur voluntati diuinæ eam efficaciter volenti; ergo humana Chriſti voluntas de vitanda morte non fuit diuinæ contraria; major patet, probatur minor, nam diuina voluntas erat de morte à Chriſto efficaciter, & abſolutè exequenda in redemptionem generis humani; voluntas autem humana Chriſti erat de fugienda morte, ut contraria naturæ, non quidem efficaciter, & abſolutè, ſed tantùm ſub conditione, ſi à Patre propoſita, & præcepta non fuiſſet; quod objectum, ut patet nullo modo eſt oppoſitum obiecto voluntatis diuinæ, quod erat de morte abſolutè, & efficaciter exequenda, ut bona, & utili generi humano; ſicut conditionata voluntas Iudicis de non damnando homicida ſub conditione, ſi non fuiſſet homicida, non aduerſatur abſolutæ voluntati eiuſdem, qua abſolutè, & efficaciter illum ad juſtam mortem damnat, quia obiectum unius voluntatis non tollit obiectum alterius, & conſequenter nec una voluntas tollit alteram, ſed in eodem ſubiecto ſe compatiuntur; itâ arguit Amicus *loc. cit.*

119 Reſp. ex his ultimis verbis conſtare quid probet argumentũ, nimirum probare ſolum inter volitionem efficacem & nolitionem inefficacem ejuſdem obiecti non verſari contrarietatem propriiſſimè ſumptam pro repugnantia, ſcilicet, qua in eodem ſubiecto ſe non compatiantur, quod planè gratis concedimus, ſi quidem talis repugnantia reperitur ſolum inter volitionem, & nolitionem efficaces reſpectu ejuſdem obiecti; at non probat inter eas non verſari contrarietatem ſumptam pro oppoſitione inter eos actus ex genere ſuo, qualis reperitur inter frigus, & calorem ſub gradibus remiſſis, quæ licet inter ſe opponuntur ex genere ſuo; Et planè ſi voluntas Chriſti de fugienda morte, quia conditionata, & inefficax, nullo modo opponebatur divinæ, opus non erat adjungere adverſatiuam, *non mea, ſed tua voluntas fiat;* licet ergo iſtæ voluntates non opponantur, itaut una repugnet cum alia, vel ſit incompoſſibilis cum illa, nec aliquam habent oppoſitionem in motivis formalibus; adhuc tamen habent oppoſitionem aliquam ex obiecto materiali, quia Chriſtus vellet non mori ſi poſſibile eſſet. Deus autem abſolutè, & efficaciter vult ipſum mori, & hæc voluntas, licet non opponatur illi in motiuo formali, opponitur tamen in obiecto materiali; ſic licet, in morte, quàm unus vult abſolutè, & efficaciter, & alter non vult ſimpliciter, ſed vitam licet, inefficaciter, & conditionatè; quo etiam pacto in Iudice voluntas conditionata de non damnando homicida, ſi non occidiſſet, opponitur voluntati abſolutæ ejuſdem, qua efficaciter vult illum damnare in pœnam patrati delicti, licet non itâ repugnent, quod ſint inter ſe incompoſſibiles, quia talis oppoſitio reperitur ſolùm inter actus efficaces.

Secundò arguitur, quia Chriſtus in tali voluntate, Deo contraria peccaſſet; conſequentia probatur, quia velle aliquid contrarium ei, quod vult Deus, videtur eſſe peccatum; hoc autem repugnat Chriſto, ergo &c. Neque dicas id valere ſolùm de volitione efficaci, & abſoluta, non autem inefficaci, & conditionata. Nam in quibuſdam materiis, etiam volitiones ipſæ inefficaces, ſeù delectationes ſunt peccatum, ut in materiis v. g. vindictæ, & luxuriæ; ergo ſaltem in his materiis Chriſtus peccaſſet, ſi per volitionem inefficacem eas optaſſet. 120

Reſp. cum Arriaga negando conſequentiam cum ejus probatione, ſi ſermo ſit de affectu inefficaci, & conditionato, nam inefficaciter ob honeſtum aliquem finem, quantum eſt ex ſe optare, ne fiat illud obiectum, quod Deus vult, non eſt ullo modo peccatum; Ad replicam dico, quo eſtò in quibuſdam materiis etiam ipſę volitiones inefficaces ſint peccatum; indè tamen conſequentia nequit trahi in propoſito; neque dixi, in omnibus materiis omnes affectus inefficaces præceptis etiam naturalibus contrarios in Chriſto eſſe potuiſſe ſed tantùm dictum eſt, aliquos non repugnare Chriſto; Undè ſi qui ſunt, qui ob ſpecialem rationem adiunctam habeant malitiam moralem, hi utique, etiamſi inefficaces ſint, omninò ſunt Chriſto denegandi.

Tertiò è contrà arguitur pro tertia opinione, fuiſſe in voluntate humana Chriſti contrarietatem ad diuinam etiã in actibus efficacibus, nã Agathon Papa in ſua Epiſt. in *6.* Synod. action. 4. ex illa Chriſti voluntate vitandi mortem arguit in Chriſto voluntatem humanam à divina diſtinctam, quo etiam argumento utitur eadem *6.* Synod. act. 10. ad aſtruendam duplicem in Chriſto voluntatem, unam humanam, qua fugiebat mortem, alteram diuinam, quæ eandem præcipiebat; Videtur autem infirmum hoc argumentum, ſi illa Chriſti voluntas erat conditionata ſolùm, & inefficax; potuit enim eadem voluntas humana Chriſti eandem mortem abſolutè, & efficaciter velle, ut à Patre præceptam, & inefficaciter, ac ſub conditione nolle, ut naturæ contrariam; ergo fatendum eſt illam voluntatem fuiſſe abſolutam, & efficacem, & conſequenter aliquam voluntatem efficacem in Chriſto fuiſſe diuinæ difformem & contrariam. 121

Reſp. duplicem voluntatem in Chriſto humanam, & divinam contra Hæreticos, qui id negabant, Patres & Concilia colligere ex præcitatis Chriſti verbis, non ex eo præcisè, quod una voluntas fuerit abſoluta, & efficax, altera verò conditionata, & inefficax, neque præcisè ex affectu ſimplicis diſplicentiæ erga mortem; ſed primò ex modo, quo Chriſtus illa verba protulit, ſcilicet, cum triſtitia, & amore, quorum affectum non eſt capax divina voluntas; deindè ex eo, quod oraverit; nam per voluntatem divinam orare non poterat; Et tandem ex verbis illis *non mea, ſed tua voluntas fiat,* in quibus manifeſtè condiſtinguit voluntatem ſuam à voluntate Dei; hac ergo ratione optimè arguebant Patres, & Concilia in Chriſto voluntatem humanam à voluntate divina diſtinctam, ut inquit Card. de Lugo *loc. cit.* non autem ex eo, quod una voluntas fuerit efficax, & abſoluta, altera inefficax, & conditionata.

Quartò arguitur ad idem, quod plura Chriſtus efficaciter voluit in hac vita, quæ nunquam evenerunt; oravit enim pro perſecutoribus ſuis, quæ oratio effectum non habuit, & Marci 7. *neminem voluit ſcire & non potuit latere;* ergo in his volitionibus etiam efficacibus voluntas humana Chriſti non fuit conformis divinæ, ſed difformis, & contraria. Reſpondeo negando aſſumptum ex dictis *n.* 121. quod enim efficaciter Chriſtus voluit, impletum eſt, quoniam ad ſingularem Chriſti prudentiam ſpectabat, nunquam aliquid abſolutè, & efficaciter velle, niſi quod certò ſciebat à ſe fieri poſſe; ad probationem aſſumpti dico, volitiones illas fuiſſe impletas eo modo, quo fuerunt efficaces, undè Chriſtus orando pro ſuis perſecutoribus, efficaciter à Patre petiit auxiliorum ſufficientium largitionem; quæ voluntas fuit impleta: Ad illud de occultatione dicendum, volitionem illam non fuiſſe ſimpliciter, & abſolutè efficacem ſed potius inefficacem, quia id non voluit abſolutè, & efficaciter per omnes cauſas, & vires quas poterat adhibere, ſed tantùm per vires naturales, ultra quas noluit adhibere ſupernaturales: Quarè cum dicitur voluiſſe latere, & non potuiſſe, non eſt intelligendum de voluntate efficaci ſimpliciter, per quam omnibus penſatis, aliquis abſolutè vult aliquid fieri: ſed intelligi debet de voluntate aliquo modo efficaci, ſcilicet, quantum erat ex poteſtate, & viribus naturalibus humanitatis: undè habuit voluntatem efficacem, & abſolutam appoſitionis illorum mediorum, non verò volitionem efficacem occultationis. 122

Quin-

Quintò ſpecialiter arguit Hurtadus ad probandum Chriſtum deſiderio efficaci refugiſſe mortem, & non ſola velleitate; ille actus eſt efficax volitio finis, ex cuius motivo media adhibemus ad illum finem obtinendum, ſivè poſteà finis acquiratur, ſivè non, undè ſumens medicinam efficaciter dicitur velle ſanitatem, quamvis ipſam non obtineat; Sed Chriſtus ex odio mortis prudentiſſimum adhibuit, & accomodatiſſimum medium ad eam fugiendam, nempè orationem, quæ eſt medium aptiſſimum obtinendi gratias à Deo, *petite, & accipietis,* ergo nolitio mortis non fuit inefficax, ſed efficax. Nec refert, inquit, nolitionem illam fuiſſe conditionatam ex ſuppoſitione divini beneplaciti; hoc enim non impedit quin fuerit efficax, ſiquidem quando nos à Deo aliquod petimus beneficium, vel omnium ſalutem, ſemper utique in his petitionibus divinum includitur bene, placitum, nempè ſi Deo itâ placet aliter imprudenter peteremus; Et tamen ex hac conditionem non ſequitur, volitione noſtram eſſe inefficacem; ſed adhuc eſt verè, & propriè efficax; ergo quamvis Chriſtus dixerit *non ſicut ego volo ſed ſicut tu,* non hic ſequitur in nolitionem mortis fuiſſe inefficacem.

124 Reſpondeo cum P. Belluto maiorem eſſe veram, quando ex motivo finis applicantur media efficacia pro eius conſecutione, non autem inefficacia, undè infirmus deſiderans ſanitatem, ſi ex vi huius deſiderii media tantùm adhibet levia, vel dulcia, quæ ex ſe tantùm mitigant morbum, non expellunt, tale deſiderium in ipſo non cenſetur efficax, ſed inefficax; qua ratione etiam voluntas antecedens, qua Deus vult, omnes homines ſalvos fieri, dicitur inefficax, quoniam ex vi illius non præbet omnibus auxilia efficacia, ſed ſufficientia; ſicut è contra voluntas ſalvandi electos dicitur efficax, quia ex vi illius præſtat electis auxilia efficacia; in propoſito autem Chriſtus ea ratione non adhibuit media efficacia ad evitandam mortem, ſed inefficacia quando enim dixit *tranſeat à me calix iſte* ſtatim ſubdidit volitionem mortis, abſolutam illi nolitioni oppoſitum dicens, *verumtamen non mea, ſed tua fiat voluntas,* ex quo deducitur, eam fuiſſe puram, & ſimplicem necis nolleitatem, non verò abſolutam, & efficacem poſtulationem; idque præſertim Hurtad. fateri tenetur, cùm ipſe ſentiat, Chriſtum petere potuiſſe diſpenſationem illius præcepti de morte ſubeunda, quam cùm noluerit poſtulare, ſed potius divino decreto ſe ſubiicere, ſignum eſt evidens in oratione medium efficax non adhibuiſſe pro illius finis conſecutione. Ad illam inſtantiam negatur minor, dum enim petimus aliquid ſub conditione divini beneplaciti, planè ſolam conformitatem cum divina voluntate abſolutè, & efficaciter volumus; rem vero ipſam petitam conditionatè ſolum, & inefficaciter; Quod ſi contendas, orationem noſtram, etiam ſub tali conditione factam habere rationem medii efficacis ad obtinendam rem poſtulatam; licet id concederetur in nobis, quia voluntas Dei nobis nota non eſt, ideoque omnia poſſibilia media adhibemus, quæ ſunt in noſtra poteſtate; minimè tamen in Chriſto id poteſt admitti, cui divina voluntas manifeſta erat, & in cuius poteſtate erat, præſertim in Hurtadi ſententia, diſpenſationem petere huiuſmodi præcepti, idcircò volitio illa vitæ, vel mortis nolitio non eſt cenſendus affectus efficax, ſed inefficax. Imò Poncius *diſp. 37. quæſt. 2.* negat, Chriſtum eam adhibuiſſe orationem, tamquam medium ad amovendam paſſionem.

125 Sextò arguit Vaſquez *diſp. 73. cap. 3.* poſsunt in nobis eſse duæ voluntates abſolutæ oppoſitæ circa idem obiectum, ſed ſub rationibus formalibus, vel finibus, aut aliis circumſtantiis diverſis; ergo poſsumus per unam voluntatem noſmet conformare voluntati Dei, & per alteram adverſari, aſsumptum probat exemplo, Filius cui Pater moritur, & per mortem ei obvenit hæreditas, & per unam voluntatem poteſt nolle mortem Patris, & nolitione abſoluta explicata per verbum nolo, eo quod mors illa eſt malum, & obiectum diſconveniens ſibi, & Patri dilecto, ſub alio verò reſpectu, quia illum ſui iuris, & Dominum paternæ ſubſtantiæ facit, poteſt eam velle, & in ea habita ſe complacere, & gaudere, Itâ, inquit, Chriſtus triſtabatur ex nolitione abſoluta mortis, ut vitæ eius deſtructiva, & ſub aliis reſpectibus, ob aliud autem motivum, ideſt ad ſalutem hominum, & ad honorem Dei, & ſub aliis reſpectibus efficaciter, & abſolutè mortem voluit, ut ſic à Deo volitam, quam doctrinam amplectitur etiam Gallus in 3. coment. in *diſt. 15. cap. 14.* ut expreſsè à Scoto traditam ibidem infra T. Hoc idem ſentire videtur quoque Vulpes *tom. 2. part. 4. diſp. 44. art. 4.* quod probat quia non eſt contradictio, voluntatem creatam ſimul elicere ac contrarios volendi idem ſecundum affectionem iuſtitiæ, & nolendi ſecundum affectionem commodi, ſublata etiam quavis conditione, quia volitio, & nolitio eiuſdem non proveniunt ex eadem affectione; ergo abſque ulla contradictione voluntas humana Chriſti ſecundum affectionem iuſtitiæ volebat mortem, & per hanc volitionem conformis erat voluntati divinæ, & ſecundum affectionẽ commodi eandẽ nolebat, qua volitione erat illi difformis.

Reſpondeo, utique dari poſſe volitionem ſimplicem, & inefficacem, quæ ſit interdum actus abſolutus, ut complacentia, quam quis habet rei poſſeſſæ, & univerſalitèr cùm tendit in objectum ſecundum ſe præſcindendo ab omni conditione per voluntatem inefficacem, ut dictum eſt *diſp. 7. de Anima q. 5. art. 2. n. 102.* licet ergo dari poſſint duæ voluntates abſolutæ oppoſitæ circà idem objectum, quarum una ſit efficax, alia inefficax, ut ſuprà dictum eſt; nego tamen poſſe dari illas voluntates oppoſitas, itaquod ambæ ſint efficaces, licet fingantur eſſe ſub diverſis motivis formalibus & finibus; nam illæ duæ volitiones non tantum opponerentur in motivis formalibus, ſed etiam in obiecto materiali, ut conſtat in exemplo allato de Filio, cui moritur Pater, nam per priorem actum ex uno motivo nollet Patrem mori, ſed vivere efficaciter, & per poſteriorem vellet efficaciter eum mori, non vivere, quod licet contingat ex diverſo motivo, hoc tame non tollit oppoſitionem eorum actum in obiecto volit, quare ſi ambo, ponantur efficaces, una voluntas deſtruit aliam, ſicut obiectum unius deſtruit obiectum alterius, cùm enim ambo ponantur efficaces, uterque contendit, quantum eſt ex ſe, ponere ſuum obiectum in eſſe, ſcilicet mortem, & vitam, quæ omninò repugnant, etiamſi id fieret ex diverſis motivis formalibus; & ratio à priori tacta eſt *nn.* 125. quia ſivè propter hoc, ſivè propter illud motivum, ſemper res ſimpliciter volitæ per modum obiecti materialis, ut in exemplo allato ſunt mors, & vita, retinent totam quantam ſuam contrarietatem, aut contradictionem. 126

Ad alium Vulpii diſcurſum patet per idem, negandum enim eſt omninò aſſumptum, quod poſſit voluntas ſimul elicere actus contrarios volendi aliquid ſecundum affectionem iuſtitiæ, & illud idem volendi ſecundum affectionem commodi, itaquod ambo ſint actus abſoluti, & efficaces; quia implicat voluntatem duobus actibus contraris abſolutis, & efficacibus tendere in idem obiectum materiale ſecundum unam rationem & non tendere in idem ſecundum aliam rationem, ut optimè urget Bellutus *loc. cit.* ergo nequit voluntas elicere duos actus contrarios abſolutos circà idem obiectum ſecundum diverſas rationes; probatur aſſumptum, quia velle abſolutum, & efficax voluntatis non ſolum contendit ponere in eſſe rationem formalem obiecti, ſed etiam ipſummet obiectum materiale volitum, ſeù aggregatum ex utroque, & è contrà nolle abſolutum & efficax voluntatis contendit deſtruere illud idem obiectum; at implicat voluntatem ſimul velle, & nolle eandem obiecti exiſtentiam, etiamſi fingatur id contingere ex diverſis finibus, & motivis, & ſub diverſis rationibus, quia his omnibus præciſis, ut dicebam, res volitæ ſimpliciter adhuc retinent totam ſuam contrarietatem, & contradictionem. 127

Et falſum omninò eſt eam doctrinam ex Scoto colligi loco citato etenim § *ultimò videndum,* ut probabilius ſtatuit, & conformius rationi, & auctoritati, quod voluntas inferior in Chriſto, ut libera non noluit abſolutè, ſed tantùm triſtabatur, quia noluit conditionaliter, quantùm ſcilicet in ipſa fuit, ſi aliter divinum præceptum impleretur; Nec valet, inquit, non noluit abſolutè, igitur non triſtabatur, quia nolle naturaliter, vel conditionaliter ſufficit ad ſimpliciter triſtari, itâ Doctor *loc. cit.* Denique ſi vera eſſet præfata doctrina, quod poſſet voluntas velle ſimul, & nolle abſolutè idem obiectum ſub diverſis rationibus, & motivis, ſic pariter poſſet intellectus ex diverſis motivis ſimul, & ſemel aſſentiri eidem propoſitioni, & diſſentire; at planè ex parte obiecti iſti actus includunt contradictionem, quia ſimul in obiecto poneret eſſe & non eſſe, ergo &c. Sic pariter per eam doctrinam deffendi poſſet actum opinionis poſſe ſimul haberi cum actu ſcientiæ de eodem obiecto; neque hinc ſequi contradictionem, quod eidem concluſioni ſimul aſſentiretur cum formidine, & ſine formidine, quia hoc faceret intellectus per diverſa media; At hic philoſophandi modus reiectus eſt *diſp. 14. log. quæſt. 2.* quia quod à parte rei prædicatum ſit connexum cum ſubiecto neceſſariò, vel non, non pendet ex medio cognoſcendi, ſed ex modo eſſendi, ſeù ex ipſa cauſa intrinſeca inhærentiæ prædicati cum ſubiecto; & cùm hæc ſit ſemper una, & eadem, nequit per unum medium modo contingens oſtendi, modò neceſſaria per aliud; Imò ſi ea doctrina eſſet vera, dicebamus ibi, quod eadem ratione defendi poſſet, poſſet eſſe ſimul in eodem intellectu aſſenſum ſcientificum, & erroneum eiuſdem concluſionis, quia tales aſſenſus ex diverſis mediis procederent; & tandem ex diverſis motivis poſſemus ſemper de eodem à parte rei contradictoria verificare prædicata, etiam quod ſit, & non ſit. 128

QUÆ

QVÆSTIO SEXTA.

An in Chriſto fuerit dolor, & triſtitia voluntatis.

129 RECOlendum eſt ex dictis in lib. de Anima *diſp. 5. q. 10.* dolorem propriè ad potentias ſenſitivas pertinere, triſtitiam verò ad voluntatem prout eſt potentia rationalis; & conſequenter voluptatem, ſeù delectationem quæ dolori opponitur eſſe in ſenſu; gaudium verò, quod opponitur triſtitiæ eſſe in voluntate, licet pluries in communi modo loquendi iſti termini confundantur. Item paſſiones iſtas non eſſe actus à potentiis elicitos, quia ſic eſſent in poteſtate voluntatis, quod eſt falſum, tùm quia triſtitia in voluntate non eſt velle, ut patet, nec nolle, vel non velle, quia iſti actus ſunt in Beatis, ac in Deo ipſo, in quibus triſtitia non reperitur; ſed ſunt quædam qualitates, quæ in potentiis appetitivis cauſantur ab obiectis cognitis, ſeù cognitionibus obiectorum, dantur namque multa obiecta, quæ in ordine ad potentias appetitivas ſunt convenientia, vel diſconvenientia, quatenus apta ſunt, ſunt vel perficere, vel corrumpere potentias; ad obiecta convenientia potentiæ ſunt inclinatæ, à diſconvenientibus averſæ; poſita igitur obiecti approximatione per notitiam, & apprehenſionem, ſi eſt conveniens ſtatim in potentia ſequitur gaudium, vel delectatio, ſi eſt diſconveniens ſequitur dolor, vel triſtitia, quæ proindè à D. Auguſt. 14. de Civit Dei cap. 15. definitur, *quod ſit de his, quæ nobis nolentibus accidunt;* Vidè loco citato de Anima, ubi hæc omnia fusè explicuimus cum Scoto *3. diſt. 15.*

130 In Chriſto fuſſe verum dolorem in appetitu ſenſitivo, qui etiam dici ſolet triſtitia ſenſibilis, certum & expreſſum eſt in Sacra Sctipturæ Iſaiæ 53. *Languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, &c.* Tren. 1. *Attendite, & videte si eſt dolor similis, sicut dolor meus* & Lucæ 24. *Oportuit Chriſtum pati, &c.* Et ratio eſt, quia ubicunque eſt vera lęſio corporis, & verus ſenſus læſionis, ibi eſt verus dolor ſenſibilis, quia poſitis illis duobus, naturaliter dolor ſenſibilis reſultat; at in Chriſto fuit vera corporis læſio, & verus læſionis ſenſus, quando præſertim flagella tempore paſſionis, ac alia tormenta ſuſtinuit; ergò in Chriſto fuit verus dolor. Neque gaudium beatificum, quod erat in Chriſto, hunc dolorem, vel triſtitiam ſenſibilem impedivit, ut de facto impedit in Beatis; Nam ut communiter Theologi docent, divina diſpenſatione factum eſt, ut gaudium beatificum, quod erat in voluntate Chriſti, non diffunderetur in appetitum ſenſitivum, ne ſcilicet dolore, & triſtitiam in illo appetitu impediret.

131 Eſt tamen gravis difficultas, an pariter in Chrſtio fuerit triſtitia voluntatis; & ratio dubitandi eſt, quia gaudium beatificum ex ſua natura excludit omnem triſtitiam à voluntate, ſed in Chriſti veluntate fuit gaudium beatificum; ergo non potuit eſse triſtitia. Neque hæc difficultas, ità facilè ſedari poteſt, ſicut præcedens de dolore, vel triſtitia in appetitu ſenſitivo nam cum hæc completè conſiſtat in diſplicentia appetitus ſenſitivi de obiecto nocivo per imaginationem apprehenſo; cumque impediri poſſit, ne delectatio ex viſione beatifica percepta in voluntate reſidens in inferiorem appetitum redundet, facilè conciliari poſſunt ſumma triſtitia in parte ſenſitiva cum ſummo gaudio, vel delectaitione in parte intellectiva, nam cùm tales actus, vel paſſiones ſint de diverſis obiecti, diverſiſque inhęreant potentiis, nullam inter ſe repugnantiam dicunt: At non ità facilè conciliari poſse videntur hæc duo in voluntate, quo nimirum pacto in eadem voluntate Chriſti ſimul eſse potuerint ſummum gaudium de Deo clarè viſo, & ſumma triſtitia de peccatis hominum Quarè aliqui difficultate preſſi dixerunt in voluntate Chriſti nullam fuiſse triſtitiam, quia hæc non poterat cum ſummo gaudio ſubſiſtere, ut Titelmanus in illud Matth. 16. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*, & alii nonnulli.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæſtionis Reſolutio:

132 COmmunis eſt ſententia veram, & propriam triſtitiam fuiſſe in Chriſti voluntate: Ita Soctus *3. diſt. 15.* & clare deducitur ex illo Math. 26. *Cœpit triſtari, & meſtus eſſe, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*, quod licet triſtita apperitus ſenſitivi poſſit intelligi, tamen à Conciliis, & Patribus intelligitur etiam de triſtitia voluntatis: ſic enim intellexerunt Agatho Papa in ſua epiſt in 6. Synodo act. 4. & Sophronius in alia epiſt. in eadem Synodo act. 11. ubi hæc teſtimonia adducunt contra Monothelitas ad probandam Chriſti voluntatem creatam, & rationalem, quod rectè non deducerent, ſi triſtitia non fuiſset in voluntate, ſed tantum in appetitu ſenſitivo. Tùm quia anima Chriſti non ſolùm habuit triſtitiam ſenſitivam in inferiori parte ſenſus, ſed etiam intellectivam in ſuperiori mentis parte, ut conſtat ex illis verbis; *Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu;* hæc ſiquidem expreſſa ſunt ſigna, & inditia ſpiritualis triſtitiæ, qua tunc temporis ſanctiſſima Chriſti anima conflictabatur; Tandem hoc ipſum ſuadet manifeſta ratio, quia Chriſtus triſtatus eſt non ſolùm propter mortem, & injurias ſibi illatas, quæ cadunt ſub apprehenſione immaginationis; ſed etiam propter peccata hominum, & ruinam Iudæorum, quatenus erant offenſæ contrà Deum; hæc autem apprehendere non erat munus ſenſus, ſed rationis, & intellectus, & conſequenter de his triſtari debuit non appetitu ſenſitivo, ſed rationali; Quarè de hoc puncto nullus remanet ambigendi locus, ſed tota difficultas eſt in ſolvenda ratione dubitandi iam propoſita, ad quam variæ ſunt ſolutiones hic examinandæ.

Primò itaque reſpondent aliqui Thomiſtæ ex Melchiore Cano lib. 12. de locis Theolog. cap. 14. ad finem, Chriſtum tempore paſſionis miraculosè ſuſpendiſſe gaudium beatificum, quod ſuaptè natura natum erat ex viſione beata derivari in appetitum intellectualem, ut ſic magis pro nobis pati poſſet, non ſolum in parte ſenſitiva, ſed etiam in intellectiva; nam ſi tempore toto ſuæ vitæ mortalis caruit miraculosè beatitudine completa quoad corpus impediendo ne gloria animi redundaret in corpus, ut illud aptum eſſet ad patiendum; ſic etiam carere debuit delectatione, & gaudio quoad animam, ſaltem tempore paſſionis eam impediendo, ne ſuo impetu redundaret in appetitum rationalem, propter eandem rationem, alioquin quoad animam non fuiſſe triſtitiæ capax; quod quidem deducere nituntur ex illo ad Hæbr. 12. *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta*, & ex D. Ambroſ. in cap. 22. Lucæ, ubi inquit, *& ſequeſtrata delectatione divinitatis æternę, tædio meę infirmitatis afficitur*, quibus verbis ſignificat, animam Chriſti tempore paſſionis ceſſaſſe à delectatione, quam de viſione divinitatis capiebat. 133

Sed hæc ſolutio communiter reiicitur, quia abſque ſufficienti fundamento tollit ab anima Chriſti per aliquod tempus perfectam beatitudinem, quod ſi ſemel admittatur, poſſet etiam quis dicere eo etiam tempore caruiſſe viſione beata, ut magis pateretur; & ratio eſt, quia cum ipſa viſione beata, & amore beatifico non minus pugnare videtur ſumma triſtitia, quàm cum delectatione beatitudinem conſequente, ſiquidem non minus ipſa viſio, ac beatifica dilectio eſt de ſe efficax ad impediendam omnem triſtitiam, quàm delectatio ipſa de viſione, & fruitione percepta; imò maior repugnantia videtur inter beatitudinem, & triſtitiam, quàm inter gaudium, & triſtitiam, quia beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus; quare ſi illa ſunt compoſſibilia tanto magis iſta. Confirmatur, quia, ut arguit Cardinalis de Lugo, hac ratione non ſolùm in paſſione debuiſſet Chriſtus ſuſpendere gaudium, ſed etiam toto vitæ tempore, quia eadem obiecta, quæ in paſſione fuerunt cauſa triſtitiæ, fuerunt ſemper Chriſto præſentia, quoniam ſemper præ oculis habuit hominum peccata, & paſſionem ſuam juxtà illud Pſalm. 37. *Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper*, quod de Chriſto paſſim patres interpretantur. Denique Patres exponentes locum illum Cant. 3. *Egredimini, & videte filię Syon Regem Salomonem in die, quo coronavit eum Mater ſua, in die lętitiæ cordis eius*, per illud diadema intelligunt ſpineam Chriſti coronam, qua coronatus eſt in die paſſionis ſuæ, quem dicunt eſſe diem lætitiæ cordis eius, quia in eo maximè lætatus eſt ſpiritu, quamvis corpore maxime doleret, ut plures Patres exponunt apud Suarez *diſput. 37. ſection. 3.* ergo in illo die anima Chriſti privata non fuit perfectiſſimo gaudio, quale eſt beatificum, alioquin ineptè diceretur dies lætitiæ cordis eius. 134

Nec valet paritas aſſumpta de beatitudine corporis; nam ſi valeret, non ſolum probaret debuiſſe ſuſpendi gaudium conſequens beatificam dilectionem, ſed ipſam quoque animæ beatitudinem, ſicut ſuſpenſa eſt corporis beatitudo; & non ſolùm probaret de tempore paſſionis, ſed etiam toto vitæ tempore, ſic, enim ſuſpenſa fuit corporis beatitudo; Non itaque valet paritas de beatitudine corporis, & animæ, quia hæc eſt eſſentialis, illa accidentalis, & illius ſuſpenſio neceſſaria fuit ad redemptionem noſtram, non autem ſuſpenſio gaudii, & beatitudinis animæ. Neque id rectè deducitur ex *loc. cit.* ad Hæbr. 12. non enim intelligi debet de ſeparatione gaudii beatifici ab ipſa viſione beata, ſed de gaudio, & delectatione beatitudinis corporis, quæ ex beatitudine animæ in corpus redundare debebat; hac enim contempta voluit potius pro nobis corpus mortale, & paſſibile aſſumere ad ſuſtinenda paſſionis ſuæ tormenta, ſicut plures Patres exponunt. Nec tandem urget Ambroſii auctoritas, non enim ſenſus eius eſt, quod ceſſaverit à delectatione, quæ viſionem, & fruitionem beatam conſequitur, ſed potius quod talis delectatio effectum triſtitiæ non impediverit, qem alioqui naturaliter impedire debuiſſet; 135

undè ut ait Vaſquez *diſp. 73.* in fine dicitur ea delectatio in paſſione ſequeſtrata fuiſſe, non quoad eſſe, cùm ſemper manſerit ſed quoad effectum non impediendi contrarium affectum triſtitiæ, ut regulariter contingere ſolet.

146 Secundò reſpondent alii, diſtinguendo duplicem portionem in eadem anima intellectuali ſuperiorem, & inferiorem, quæ non diſtinguuntur, tanquam duæ facultates operatrices diverſę, itaut ſit alia potentia intellectiva, vel volitiva ſuperior, alia intellectiva, vel volitiva inferior; ſed ſunt omninò eadem potentia, quæ in iſtas portiones dividitur, quatenus in diverſis actibus occupatur, & circa diverſa obiecta; eadem quippe intellectualis potentia, quatenus in operando ducitur motivis ſuperioribus, & regulis æternis dicitur portio, ſeù ratio ſuperior; quatenus verò ducitur motivis inferioribus, & regulis temporalibus dicitur portio, ſeù ratio inferior; undè quemadmodum intellectus practicus, & ſpeculativus non ſunt duæ potentiæ formaliter diſtinctæ, ſed eadem, ut actui practico, vel ſpeculativo ſubſtat; ità portio ſuperiori, & inferiori in anima non diſtinguuntur, ut due facultates operatrices diverſæ, ſed tanquam duo munia diverſa operandi ejuſdem potentiæ; quæ doctrina deſumpta eſt ex Auguſt. 12. de Civit. *c. 2. 3. & 4. 12. & 14.* ubi hæc duo efficia in eadem potentia diſtinguit, & ſic etiam explicatur, & acceptatur à Scoto 2. *diſt. 24.* & *3. diſp. 15.* lit. K. Hac itaque præmiſſa diſtinctione reſpondent ad rationem dubitandi ab initio quæſtionis propoſitam, triſtitiam fuiſſe tantùm in voluntate Chriſti ſecundum portionem inferiorem; beatitudinem verò in portione ſuperiori ex qua non promittebatur ad inferiorem derivari gaudium; quarè triſtitia fuit in portione tantùm inferiori voluntatis Chriſti, & erat connexa cum triſtitia ſenſibili appetitus ſenſitivi.

147 Hæc tamen ſolutio vim argumenti non infringit, nam in primis falſum eſt, ut inquit Doctor *loco cit.* Chriſtum habuiſſe triſtitiam in ſola portione inferiori animæ, non enim tantùm triſtabatur de ſua morte, ut propriæ naturæ contraria, quod pertinet ad portionem inferiorem; ſed etiam de peccatis hominum, ut Divinę Majeſtatis offenſivis quod ſpectat ad ſuperiorem portionem. Deindè admiſſo etiam triſtitiam fuiſſe tantùm in portione inferiori voluntatis Chriſti, adhuc remanet argumentum in ſuo robore quo pacto gaudium beatificum, & triſtitia, ſi ſunt invicem oppoſita, in eodem ſubiecto poſſint ſimul manere; jam enim dictum eſt, portionem ſuperiorem, & inferiorem, in anima non eſſe duas facultates reipſa diſtinctas, ſed eandem, & tantùm pęnes diverſos actus, ac officia ſecerni; ergo adhuc remanet integra difficultas, quomodo hi duo oppoſiti actus, vel paſſiones poſſint in eodem indiviſibili ſubiecto ſimul recipi; ſi enim hæc duo ſunt verè inter ſe oppoſita, non ceſſat eorum oppoſitio ex eo tantùm, quod unum recipiatur in portione ſuperiori, & alterum in inferiori ejuſdem voluntatis, cùm portio ſuperior non ſit diſtinctum ſubiectum ab inferiori; ſed unum, & idem ſub diverſis muneribus.

148 Tertio reſpondent Cardinalis de Lugo *diſp. 22. ſect. 2.* triſtitiam eſſe cum gaudio incompoſſibilem, quando eſt concomitans aut ſubſequitur illud; & quando ſaltem natura præcedit, non tollitur per gaudium ſubſequens, nam bonum pro eo ſigno, pro quo non apparet cognoſcenti, nullum poteſt afferre ſolatium ad impediendum, vel minuendum malum propoſitum; ſic autem contigit in Chriſto, quod triſtitia præceſſit natura gaudium, & beatitudinem, quia erat unum ex obiectis beatificæ viſionis, ſuam enim triſtitiam Chriſtus videbat in Verbo, & conſequenter prior, quia obiectum præcedit natura actum.

At neque reſponſio ſatisfacit, & multa falſa continet; & ut ab hoc ultimo incipiam; falſum eſt triſtitiam præcedere viſionem beatam eo modo, quo obiectum præcedit natura actum, hoc enim ſolùm verificatur de obiecto primario, à quo viſio beata eſſentialiter dependet, non autem de obiecto ſecundario, à quo eſſentialiter non dependet; triſtitia autem ſi eſt obiectum beatæ viſionis, nequit eſſe niſi obiectum ſecundarium. Deindè, quando etiam in primò inſtanti naturæ fuiſſet in Chriſto excitatus triſtitiæ affectus, idem tamen affectus aut impediviſſet; ne gaudium ſubſequeretur in poſteriori ſigno, aut ſtatim fuiſſet repreſſus, & extinctus ex materia gaudii beatifici in ſecundo ſigno naturæ ſubſequentis; cùm non minus actus iſti pugnent in fieri, quam in conſervari. Nec valet, ſi dicatur, ſuperata ſemel naturali repugnantia pro primo inſtanti naturæ; naturaliter poſtea hujuſmodi affectus perſeverare ſimul in eodem ſubiecto; Non valet, inquam, quia cum materia gaudii nullo modo ponatur apparere animæ Chriſti in eo primo ſigno, ſed tantùm materia triſtitiæ, dici nequit ſuperatam eſſe pro eo inſtanti naturæ naturalem repugnantiam inter illa; tùm quia, ut dicebam, hujuſmodi affectus non minus naturaliter pugnant inter ſe in fieri, quàm in conſervari.

Confirmatur, quia qua ratione gaudium beatificum pro primo naturæ inſtanti apparens non permittit excitari affectum triſtitiæ pro eo ſigno; eadem ratione idem gaudium pro ſecundo naturæ ſigno apparens non permittet affectum triſtitiæ in primo ſigno excitatum conſervari in ſecundo; Neque dicas ſufficere, quod hujuſmodi affectus triſtitiæ fuerit in Chriſto pro primo duntaxat naturæ ſigno. Nam præterquamquod ſæpè dictum eſt in Phyſicis exiſtentiam rerum per ſigna naturæ non benè menſurari, adhuc expreſsè pugnat cum Evangelica hiſtoria, quod Chriſtus pro unò tantum inſtanti hujuſmodi triſtitiæ affectu preſſus fuerit; cùm ex prolixa oratione facta in horto ad Patrem Math. 16. & Lucæ 22. apertè colligatur animam Chriſti tempore paſſionis in hujuſmodi affectu diutius perſeveraſſe. Demum, cauſæ illarum paſſionem ſemper influunt; cùm naturaliter agant, ergò ſivè ſimul applicentur pro eodem inſtanti, ſivè una poſt aliam, poterit una cauſalitatem, & influxum alterius minuere, vel etiam totaliter reprimere; nulla ſiquidem ratio aſſignari poteſt; cur potius ſimul propoſitæ, ac in eodem ſigno, ſibi mutuo cauſalitatem minuant, & influxum, & non pro diverſis ſignis; oppoſitum enim oſtendunt quotidianæ experientiæ, qui enim prius lætus, & jucundus erat, ob adverſa quæ accidunt, evacuata lætitia, & gaudio, triſtis, & infælix efficitur.

Quartò reſpondet Lichetus *3. diſtinct. 15. quæſt. un.* in ſolutione principalium, quod ſi gaudium, & triſtitia ſint qualitates abſolutæ, in gradibus intenſis ambas in ſummo non potuiſſe eſſe in Chriſto, ſed unum in ſummo, & aliud in gradu remiſſo: nempè gaudium in ſummo, & triſtiam in eſſe remiſſo: Negat utrumque potuiſſe eſſe ſimul in ſummo, quia repugnare putat etiam de potentia Dei abſoluta contraria in ſummo eſſe in eodem ſubiecto, quod ex variis Scoti locis deducere nititur. Affirmat verò gaudium fuiſſe in ſummo triſtitiam autem in eſſe remiſſo, vel citra ſummum, quia ſumma lætitia eſſe poteſt de obiecto ſumme delectabili, quale eſt obiectum beatificum, ſi ejus amor ſummus fuerit, nam ad majorem amorem obiecti ſummè delectabilis, major delectatio concomitatur cùm igitur amor Chriſti Dei clarè viſi fuerit ſummus, ſumma etiam fuit ejus delectatio: Hoc autem de triſtitia dici non poteſt, quia ſumma triſtitia non poteſt eſſe, niſi de obiecto ſummè triſtabili, hoc autem Inveniri non poteſt, quia nullum poteſt eſſe malum ità intenſum, quod ſit tantùm odibile, quantum bonum infinitum eſt amabile: ſicut ergo non poteſt dari obiectum ſummè triſtabile, quia nec ſummum malum, ità neque poterit ſumma triſtitia. 149

Hæc tamen ſolutio eſt contrà communem Patrum, & Theologorum opinionem, qui hæc duo, & in ſummo admittunt in Chriſto, & dicunt dolorem, & triſtitiam de peccatis omnibus in Chriſto vehementiorem, & intenſiorem fuiſſe, quàm fuerit, vel ſecundum potenliam ordinariam eſſe poſſit in alio homine, quia doluit de omnibus hominum peccatis ſimul ſumptis, ac perfectiſſime conſideratis, adeoquod ex parte obiecti formalis nullus ità cognovit, atque perpendit offenſionem Dei, ingratitudinem, & malitiam omnem, quæ eſt in peccato; neque ullus unquam tanta animi attentione cognovit omnia, quæ ad deteſtandum peccatum movere poſſunt: Tùm quia ſicut ſumma fuit ejus charitas, & amor ergà Deum, ità ſummum eſſe debuit odium erga peccatum, ut eſt illius offenſa: Quamvis autem peccatum mortale in ratione offenſæ non includat infinitam malitiam, & gravitatem ſimpliciter, ſed tantùm ſecundum quid, nec gravitas offenſæ creſcat adæquatè ad dignitatem perſonæ, ſed proportione ſervata, adhuc tamen quia eſt ſupremum malum in ratione offenſæ, dicitur ejus malitia ſumma negativè, itaut ratione perſonæ offenſæ major excogitari non poſſit, ut dictum eſt *lib. 2. diſp. 6. qu. 7. n.* 187. & 191. quod ſufficit ut ſummum odium terminat expoſſit & æquale in intenſione amori, quo Deus à Chriſto diligitur: Quod autem de potentia Dei abſoluta poſſint duæ qualitates contrariæ in ſummo exiſtere ſimul in eodem ſubiecto etiam de mente Scoti jam ex profeſſo oſtendi *diſp. de genere, & corrup. qu. 5. art. 2.* ubi etiam occurro teſtimoniis Scoti à Lichero allatis. 150

Quintò reſpondent alii, quod licet gaudium, & triſtitia ſecundum ſuas rationes genericas, & modum, quæ verſantur circà obiecta ſua habeant maximam diverſitatem, & repugnantiam: non tamen propriam contrarietatem, niſi in particulari verſentur circà idem omninò, & ſecundum eandem rationem, cujus ſimile videre licet in aſſenſu, & diſſenſu intellectus, nam in communi habent illam diverſitatem, non tamen contrariam oppoſitionem, niſi ſint ejuſdem de eodem, quo fit ut interdum ex aſſenſu unius propoſitionis oriatur diſſenſus alterius, & ſimili modo ex gaudio de divino honore oriri poteſt triſtitia de divina offenſione, atque ità in propoſito gaudium, & triſtitia Chriſti non erant qualitates, vel actus verè contrarii, quia verſabantur circa diverſa obiecta, gaudebat enim de bonitate divina, & ſua beatitudine: & triſtabatur de peccatis hominum, & morte ſua; Porrò actus, qui verſantur circa diverſa obiecta, & motiva formalia, poſſunt eſſe ſimul, quia unus non deſtruit formale motivum alterius non poteſt eſſe ſimul cum illo, cùm nequeat actum perſeverare, de- 151

deſtructo formali motivo ipſius, à quo eſſentialiter quilibet actus pendet; ità Baſſolius *3. diſt. 15. q. un.* Rubion *ibid q. 2.* Aretinus *3. diſt. 15. art. 14* Bellutus *diſp. 12. q. 6. art. 1. nu. 190.* ubi ait hanc quoque ſolutionem à Scoto approbari, & hoc peculiare eſſe in actibus potentiarum vitalium, quia non ſunt qualitates merè abſolutæ, ſed ordinem involvunt extrinſecum obiectum; undè non tantùm reſpectu communis ſubiecti eorum oppoſitio demetiri debet, ſed etiam in ordine ad extrinſecum obiectum; quod etiam approbat Suarez *diſp. 38. ſect. 3.* Rada *3. par. controver. 10.* & Faber *diſp. 39 cap. 5.*

152 Sed quamvis hæc ſolutio ſit communis, hac etiam plauſibilis apud noſtros, non tamen approbatur à Scoto, qui eam reiicit ab initio quæſtionis ex doctrina Ariſt. 7. Ethic. cap. 14. ubi docet quod gaudium, & triſtitia naturaliter, & de facto pugnant; etiamſi ſint circà diverſa obiecta, nam experientia conſpicuum eſt, delectationem vehementem de uno obiecto expellere triſtitiam de omni alio obiecto, & è contrà, etiamſi non verſentur circà idem omninò, & ratio eſt, quia malum cum ſolatio excellenti ex diverſo obiecto delectabili accedente non eſt motivum ſufficiens ad triſtitiam magnam, & excellentem, eo ſolatio admiſſo oppoſita minuitur triſtitia, & ſit levius malum, quod ſecundum ſe foret gravius, & materia triſtitiæ, Undè etiamſi actus illi ſint circà diverſa obiecta, & unus actus non deſtruat obiectum motivum alterius, adhuc tamen motivum unius impedit, & reprimit motivum alterius, ne habeat tantam efficaciam ad movendam potentiam, quantam haberet, ſi cum alio motivo coniunctum non eſſet. Quarè in propoſito motivum guadii beatifici, eſtò non tollat motivum triſtitiæ, impedit tamen, ne vim tantam habeat ad movendam voluntatem ad triſtitiam, quantam haberet, ſi coniunctum non eſſet cum motivo gaudii beatifici. Neque exemplum adductum de aſſenſu, & diſſenſu eſt ad rem, quia aſſenſus, & diſſenſus licet habeant diverſum modum tendendi in obiectum, nullam tamen repugnantiam habent inter ſe, niſi verſentur circa idem obiectum, tunc enim repugnant ex parte obiecti; quod enim unus ponit in objecto, alter deſtruit; & ideò nequeunt eſſe ſimul etiam de potentia Dei abſoluta, quia ſimul poneretur in objecto eſſe, & non eſſe; gaudium autem, & triſtitia etiamſi verſentur circà diverſa obiecta, adhuc aliquam habent inter ſe oppoſitionem, ut oſtenſum eſt, ſignum evidens hæc opponi ex ſuis rationibus formalibus, & non tantùm per ordinem ad obiectum, ut dicitur de aſſenſu, & diſſenſu.

153 Conſit. quia ſi gaudium, & triſtitia eodem modo repugnarent, quo aſſenſus, & diſſenſus, ſequeretur, quod ſicut illa circà idem in quovis gradu, etiam per Dei potentiam abſolutam non ſe permittunt, ità nec gaudium, & triſtitia, quod tamen falſum eſt: nam anima Chriſti viſione beata videbat paſſionem in Verbo, & de ipſa lætabatur iuxta illud ad Hæb. 12. *propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem*, & de illa ſimul triſtabatur iuxtà illud *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*.

Reſpondet Bellutus, quòd paſſio, ut à Deo volita, & ut medium noſtræ redemptionis, erat obiectum volitionis; ut contrà affectionem commodi, & contraria humanitati erat obiectum nolitionis, & conſequenter ſi poterat ſimul terminare eadem paſſio velle, & nolle propter iſtam diverſitatem rationum formalium, etiam poterit terminare gaudium, & triſtitiam, quarè actus, vel paſſiones illæ non erant omninò contrariæ, quia non erant de eodem obiecto ſecundum eandem rationem, vel motivum formale, & ſic etiam reſpondent Aretinus *loc. cit.* & Faber *diſputat. 39.* Miror tamen Bellutum hanc adhibere ſolutionem, quam in eadem *diſputat. 12 num. 128.* paulò ſuprà confutaverat, ubi dicebat, non ideò nolitionem mortis in Chriſto non fuiſſe volitioni contrariam, quia contraria ſint de eodem, & ſecundum idem; nam in actibus voluntatis quandoque ut adſit contrarietas, ſufficit, ut verſentur circà idem obiectum materiale; ſed quia volitio mortis fuit actus abſolutus, & efficax, nolitio verò actus conditionatus, & inefficax, qui actus inter ſe propriè non ſunt contrarii, cùm unus alium permittat reſpectu eiuſdem obiecti; ergo pace ſua non conſequenter loquitur in hac reſponſione P. Collega meus. Et quidem ea doctrina ſatis evulſa manet ex dictis ſuprà *num. 136. & ſeq.* ubi diximus, quod ſi verum eſſet voluntatem poſſe ſimul, & ſemel velle, & nolle, abſolutè idem collectum ſub diverſis rationibus, & motivis ſic pariter poſſet intellectus ex diverſis rationibus, & motivis ſimul, & ſemel aſſentire eidem propoſitioni, & diſſentire; & eodem pacto defendi poſſet, poſſe dari ſimul in eodem intellectu aſſenſum ſcientificum, & opinativum, imò etiam erroneum eiuſdem concluſionis, quia tales aſſenſus eſſent ex diverſis mediis, & motivis, hoc autem impoſſibile eſſe ſatis ibi demonſtratum eſt.

154 Denique gaudium, & triſtitia, ità inter ſe opponuntur, quod ſivè verſentur circà idem obiectum ſub diverſis rationibus formalibus ſivè circà diverſa omninò obiecta, ſemper aliquam inter ſe retinent oppoſitionem, quia etſi actus unius non deſtruat obiectum alterius, motivum tamen unius impedit, & reprimit motivum alterius, ut dictum eſt; ergò repugnantia horum contrariorum potius attendi debet penes receptionem in eodem ſubiecto, ſivè penes diverſum modum efficiendi idem ſubiectum, quàm ex extrinſecis obiectis, circà quæ verſantur vel ex quorum apprenſione generantur huiuſmodi paſſiones. Et ratio à priori eſt, quia huiuſmodi paſſiones non ſunt actus eliciti à potentiis, ſed qualitates quædam, quæ in potentiis cauſantur ab obiectis cognitis; ſeù à cognitione obiectorum, & actibus voluntatis, tanquam cauſis partialibus unam totalem, & adæquatam integrantibus; quarè non eſt diſcurrendum de contrarietate harum paſſionum, ſicut diſcurrimus de contrarietate actuum vitalium, qui non ſunt mere abſoluta, ſed ordinem ad extrinſecum obiectum involuunt, ut dicebat Bellutus; ſed potius, ut philoſophari ſolemus de contrarietate frigoris, & caloris, & aliarum qualitatum abſolutarum; quarè ſicut contrariæ qualitates, ſivè ab eadem cauſa fiant, ſivè à diverſa, & diſparata, ſemper ſunt contraria, & incompoſſibilia; ità pariter dicendum in propoſito de gaudio, & de triſtitia, quia obiectum ad iſtas paſſiones ſe habet, ut cauſa merè effectiva, nec earum ordo ad obiectum eſt ità illis eſſentialis, ſicut eſt ipſis actibus vitalibus; qui omninò ſpecificantur ab illis; Et hic quidem diſcurſus eſt ipſa Doctoris replica contrà hunc quintum reſpondendi modum *diſt. 15. cit.* circà quæſtionis initium. Et hanc eandem doctrinam, ut Scoti genuinam, tradit quoque Vulpes *tom. 1. part. 4. diſp. 9 art. 9.* ubi ait huiuſmodi paſſiones eſſe abſolutas qualitates ab operationibus vitalibus ſpecie diſtinctas, pendentes tantùm ab illis per modum cauſę applicantis activa paſſivis, exindè pendentes quoque eſſentialiter à diverſis obiectis totaliter in genere cauſæ efficientis; non verò in genere cauſæ formalis terminativæ ad differentiam vitalis operationis tantùm ab illis partialiter pendentis in genere efficientis, & totaliter in genere cauſæ formalis terminativæ; ex quo deducit huiuſmodi paſſiones formaliter invicem inter ſe contrariari in eodem ſubiecto à quibuſcunque ſint effectivè, dummodò ambæ ſint in ſummo gradu poſſibili æqualiter inter ſe, non ſecus ac albedo, & nigredo ſunt qualitates contrariæ in ſummo gradu propriæ intenſionis in eodem ſubiecto, à quibuſcunque cauſentur effectivè, quam doctrinam approbat etiam Baſſolius *loc. cit.* in ſolutione ad primum principale.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Verior ſolutio rationis in oppoſitum.

MAuritius Hybernicus Scoti Marginiſta videns præcedentem ſolutionem ad rationem dubitandi ab initio quæſtionis propoſitam, quamvis pluribus Scotiſtis acceptam, ut ab ipſo Scoto in ſolutione principalium inſinuatam, non plenè ſatisfacere ut vidimus; in margine dicit ſolutiones argumentorum principalium illius quæſtionis non haberi in originalibus antiquis, eas tamen poſuiſſe, ut in originali connecto invenit, ſed videri additionem vel Doctoris, vel aliorum, quarè pro vera ſolutione Lectorem remittit ad Reportata, ibi autem *3. diſt. 15. quæſt. un.* in fine, inquit, fuiſſe magnum in Chriſto miraculum, quod cum vehementi fruitione potuerit ſtare vehemens triſtitia in eadem potentia, licet ratione alterius; & ſimiliter quod delectatio in potentia ſuperiori ſumma non impediebat dolorem intenſum in potentia inferiori; Quibus verbis fatetur Doctor, quod anteà dicebamus in refutatione præcedentis ſolutionis, gaudium, & triſtitiam inter ſe pugnare, etiamſi ſint circà diverſa obiecta, & eſſe magnum miraculum quod reperiantur ſimul in eadem potentia in ſummo, licet ratione alterius, & alterius obiecti; Quod ſi gaudium, & triſtitia non eſſent contraria, nec invicem oppoſita, niſi reſpectu eiuſdem objecti, ut inquit in Scripto Oxonienſi in ſolutione ad primum, iam nullum fuiſſet miraculum gaudium, & triſtitiam fuiſſe ſimul in ſumo gradu in voluntatem Chriſti; Et tamen, quod hoc fuerit miraculũ, non ſolùm Doctor fatetur in Reportatis, ſed etiam in Scripto Oxonienſi *d. 15.* lit. Y. ubi reſpondens ad illud Philoſophi 3. Ethic. *c. 14.* quod delectatio magna excludit triſtitiam non tantum oppoſitam hoc eſt procedentem ex amiſſione illius boni, quod eſt cauſa præſentis delectationis, ſed etiam contingentem, hoc eſt procedentẽ ex amiſſione alterius boni diſparati, vel coniunctione cum potentia alterius mali noliti, inquit eſſe verum de facto, & naturaliter; tamen in Chriſto opoſitum accidiſſe per miraculũ, ut in eadem potentia gaudium, & triſtitia coniungerẽtur in ſummo, etiam ut comparatur ad aliud, & aliud obiectum, ſicut miraculũ fuit, quod eſſet ſimul viator, & comprehenſor; ex quã doctrina patet Scotum agnoviſſe verã contrarietatẽ gaudii, & triſtitiæ in ſummo in voluntate Chriſti, etiã per ordinem ad diverſa obiecta, atque ideò præcedentẽ ſolutionem non eſſe de mente Doctoris; unde etiam Rada cont. 10. in fine fatetur eam ſolutio-

difficultati propoſitæ, quatenus urget de triſtitia in portione ſuperiori, an ſit ſimul cum gaudio.

156 Dicendum eſt itaq; in eadem voluntate animæ Chriſti appetitu rationali, vel intellectivo ſecundum eandem portionem ſuperiorem ad obiectum increatum relatam ſub utraq; affectione iuſtitiæ, & commodi fuiſſe ſimul delectationem ſummam de Deo beatificè ſibi coniuncto, & ingentem triſtitiam tam de peccatis omnium hominum à ſe abſolute nolitis ratione propriæ turpitudinis, & offenſionis Dei, quàm de ignominioſa eius paſſione, ac morte, à ſe quoque ſaltem conditionatè nolita, ſuppoſito miraculo diſpenſationis Dei regulariter prohibentis hanc paſſionem triſtitiæ in parte illa præcipuè perfectiſſimè beata; ita Vulpes *loc. cit.* Gallus *3. diſt. 15. q. v. ar. 3. c. 10.* & alii politiores Scotiſtę, quam etiam ſolutionem amplectitur Baſſolius loc. cit. ubi reſpondens ad rationem dubitandi poſitã, quod graudiũ & triſtitia ſunt contraria pręcipuè in gradibus intenſis, atque ideò in eodem ſubiecto incompoſſibilia, inquit, quod eſtò ſint contraria, divina tamen virtute fieri poteſt, ut ſint in eadem voluntate nam univerſaliter loquendo poteſt Deus in eodem ſubiecto ponere formas contrarias in quocunq; gradu, ut conſtat de calore, & frigore què licet in ſummo eſſe nequeant in eodẽ ſubiecto, poſſunt tamen eſſe virtute divina, ut latè probatum eſt *diſp. 1* de Gen. & Cor. *q 5.*

157 Reſpondet Aretinus *loc. cit.* quod quicquid ſit de aliis qualitatibus, & formis, actus tamen vitales, ſi propriè ſint contrarii, repugnantiam involuunt, quod ſimul ſint in eodem ſubiecto, nam ſi intellectus ſimul aſſentiret, & diſſentiret eidem propoſitioni ſimul poneret in obiecto eſſe, & non eſſe; undè ſicut impoſſibile eſt, ut eodem aſſenſu iudicem idem eſſe, & non eſſe, ità eſt impoſſibile ſimul habere iſtos duos actus, & idem eſt de omnibus contrariis ſimilibus. Et hoc ipſum nos quoque diximus *diſp. 1.* de Gen. cit. n. 54. actus nempè vitales, & paſſiones non poſſe ſimul coexiſtere ob contradictionem, quam includunt ex parte obiectorum, eo quod unus deſtruit formale obiectum alterius, nam v. g. per actum ſcientię concipitur homo riſibilis per actum erroris concipitur irriſibilis; obiectum delectationis, & amoris eſt bonum; doloris, & odii malum, cùm igitur huiuſmodi actus habeant rationes obiectivas omninò repugnantes non poterunt intellectus, & voluntas ſimul illos habere, quia quod unus affirmat, alter negat; undè hæc repugnantia, & actualis expulſio convenit illis actibus ex generali ratione contrarietatis, ſed ex ſpeciali eorum ratione, quatenus vitales.

Sed hæc ſolutio non ſatisfacit, quia ut dictum eſt *n. 154.* huiuſmodi paſſiones ſunt qualitates abſolutæ ab operationibus vitalibus ſpecie diverſæ, quarè de illis, & iſtis non eſt eodem modo phyloſophandum quantum ad earum contrarietatem; Vndè falſum eſt gaudium, & triſtitiam habere ſpecialem illam repugnantiam inter ſe, qualem habent aſſenſus, & diſſenſus circà eandem propoſitionem; nam iſtorum motiva ſe ſe mutuò deſtruunt; at motivum gaudii beatifici non deſtruit motivum triſtitiæ, neque è contrà, ſiquidem motivum gaudii beatifici eſt Deus in ſe ipſo viſus, & amatus; motivum verò triſtitiæ in Chriſto erat, vel nocivum naturæ aſſumptæ, vel hominum ruina, vel Dei offẽſa à creaturis illata, at Deus in ſeipſo viſus, & amatus non deſtruebat eſſentialiter in Chriſto nocivum naturæ aſſumptæ, nec hominum ruinam nec offenſã Dei à creaturis illatam, cùm hæc motiva non ſint inter ſe contraria, ſed tantùm diſperata; ſolùm enim Deus propter ſe odio habitus eſt motivum oppoſitum motivo gaudii beatifici, cuius motivum eſt idẽ Deus in ſeipſo viſus, & propter ſe amatus. Et quando *loc cit.* dicimus etiã nonnullas paſſiones habere ſpecialem inter ſe repugnantiam, ut nec per divinam potentiam poſſint ſimul componi in eodem ſubiecto; loquimur de illis quæ contradictionẽ ex parte obiectorum, & non univerſaliter de omnibus, ut conſtat ex exemplis ibi allatis; & quando id etiã aſſerimus de delectatione, & dolore, ſeu triſtitia, advertendũ eſt ex Scoto *4. d. 50. q. 3.* delectationẽ ſubiectivè in appetitu intellectivo dupliciter ſumi poſſe; primò relatè ad triſtitiam ſibi contrariam, ſcilicet ex obiecto; Deindè ad triſtitiã diſparatam ex quovis alio obiecto nolito cõtingentem. Delectatio primo modo ſumpta inſurgit ex bono poſſeſſo; & triſtitia poſitivè oppoſita ex eodem bono amiſſo; & in hoc ſenſu neque per divinã potentiam ſunt ſimul compoſſibiles, quia obiectum unius deſtruit obiectum alterius, cum impoſſibile ſit idem bonum ſimul poſſideri, & ammitti; quo pacto dicimus loc. cit. has paſſiones nec per Dei potentiam eſſe compoſſibiles, quia contradictionem includunt ex parte obiecti. At delectatio ſecundo modo ſumpta inſurgit ex bono poſſeſſo, & triſtitia, vel ex amiſſione alicuius boni diſparati, vel ex coniunctione cum potentia alicuius mali noliti; & hoc pacto ſunt qualitates ex obiecto diſparatę, adhuc tamen aliquam cõtrarietatẽ inter ſe retinentes reſpectu eiuſdẽ ſubiecti, quę ſi fuerit in gradibus remiſſis, poteſt naturaliter ſuperari, & ſunt compoſſibiles, licet cum aliqua pugna, quia motivum unius impedit motivũ alterius neagat ſecundum totam ſuam virtutem, ut explicatum eſt nu. 152. at ſi fuerit in gradibus intenſis, ità ut & gaudiũ, & triſtitia ſint in ſummo, & eorum motiva agant ſecundũ totam eorum virtutem, non poſſunt ſimul componi naturaliter in eadem potentia

ſed tantum virtute divina, ut in Chriſto contigiſſe hìc dicimus.

Deindè probatur ulterius ex dictis diſp. 1. de gen. & cor. q. 5. 159
nam pugna contrariorum, ac eorum incompoſſibilitas in ſummo, modo eſt ex divina diſpoſitione, & providentia, quæ fuit, cauſas ſecundas motus ſuos agere, & in præſentia unius formę cõtrarię aliã non vult conſervare, & capacitatem in unoquoque compoſito reſpectu unius formæ, & alterius ad tot. gradus præſcripſit iuxtà exigentiam eius naturalem, undè capacitas illa dicitur limitata; Atqui has leges, & exigentias rerum poteſt Deus ſuperare, ut *loc. cit.* dictum eſt, & facere, ut capacitas ſubiecti amplior ſit iuxtà tenorem potentiæ obedientialis, itaquod duo contraria in ſummo in ſe recipiat; ergo in propoſito contrarietas gaudii, & triſtitię, & eorum incompoſſibilitas in gradu ſummo eſt ex diſpoſitione Dei; ideoque ſicut in portione ſuperiori voluntatis Chriſti eſt capacitas ad ſummam gratiam, & ad ſummam fruitionem ſimul, ac ad ſummum gaudium, ſic pariter potuit in eadem portione eſſe capacitas ad ſummam triſtitam, ſpectata potentia obedientiali. Nec obſtat, triſtitiam eſſe gaudio contrariam, quia iam incompoſſibilitas horum in ſummo gradu non erit ex defectu capacitatis, ſed ex contrarietate paſſionum illarum, quã etiã poteſt divina ſuperare potentia, ſi in præſentia unius formæ contrarię aliã vult conſervare. Imò ratione duplicis ſtatus, in quo Chriſtus fuit à Deo conſtitutus, Viatoris nempè, & Conprehenſoris, dici poteſt ambas illas paſſiones fuiſſe illi quodamodo connaturales; nã ratione ſtatus Cõprehẽſoris, naturaliter exigebat habere proprietates, & operationes Cõprehẽſoris, quæ ſunt viſio, fruitio, & delectatio ad ipſas cõſeq; contrà verò ratione ſtatus Via. exigebat habere proprietates, & operationes viatoris, inter quas ſunt triſtitia, & reliquæ animæ mortali corpori conviunctæ paſſiones. Ex quo patet diſcrimen inter Chriſtum, & cæteros Beatos, nam cæteris Beatis, quia non ſunt Viatores, ſed Comprehenſores tantùm, eſſet omninò violenta, & præternaturalis triſtitia, & quilibet affectus afflictivus eo quod ratione ſui ſtatus illum non exigit; at Chriſto, quia eſt ſimul Viator, & Comprehenſor triſtitia, non eſt violenta, & præternaturalis, quia ei congruit ratione ſtatus Viaioris, & hoc eſt, quod voluit inſinuare Doctor l. c. quando dicebat, quod ſicut miraculum fuit, ut Chriſtus ſimul eſſet Viator, & Comprehenſor, ità conſequens miraculum fuit, ut in eius voluntate gaudium, & triſtitia coniungerentur in ſummo; ſic veraciter poterat dicere Chriſtus illud pſal. inquit Doctor *Repleta eſt malis anima mea* ideſt, triſtitiis, ſivè pęnis quia anima eius quantum ad voluntatem ſecundum utramque portionem triſtabatur; & quoad intellectum ſecundum utramque portionem apprehendebat obiectum diſconveniens naturaliter, & conditionaliter voluntati.

Dices ex Ariſt. *loc. cit.* quod delectatio vehemens excludit à 160
voluntate triſtitam non tantùm oppoſitam, ſed etiam contingentem; ergo materia gaudii beatifici permittere non potuit in anima Chriſti affectum triſtitiæ; ſicut enim minus bonum, in præſentia maioris boni non habet vim movendi voluntatem ad proſecutionem ſui: ità nec motivum triſtitiæ in præſentia gaudii beatifici, quod erat ſummum in Chriſto non potuit habere vim movendi voluntatem Chriſti ad affectum triſtitiæ.

Reſpondeo naturaliter loquendo, ſeù juxtà communem naturę curſum, quo pacto loquebatur Ariſt. ità contingere debuiſſe ut inquit Doctor lit. Y. miraculoſè tamẽ factum eſt, ne ſummum gaudium in voluntate Chriſti ob beatitudinem impediret effectum triſtitiæ ex aliis obiectibus triſtantibus excitatum; Unde ſtante hac ſpeciali Dei diſpenſatione ſpontè, ac liberè voluit Chriſtus huiuſmodi triſtes affectus in ſeipſo ſuſcipere, & exercere, ut Patres, & Concilia docent, tùm ad oſtenſionem veritatis aſſumptæ naturæ, tùm ad maius meritum, & argumentum ſuæ erga nos dilectionis, ut inquit Doctor; ſpontè, inquam, & liberè hos triſtes affectus in ſe ſuſcepit nã alioquin; ſummi gaudii beatifici, quo eius anima fruebatur, potuiſſet ab obiectis, & motivis triſtitiæ divertere, nec de illis dolorem, aut triſtitiam concipere, ſed omnem omninò, & intellectus intuitum, & voluntatis affectum ab illis avertere, ſolumque ſecum manere in ſuæ beatitudinis ſecreto, ac fruitionis; Quare ad argumentum admiſſo antecedente in ſenſu iam explicato, neganda eſt conſequentia ſuppoſita ſpeciali Dei diſpenſatione circà coexiſtentiam triſtitiæ, & gaudii in ſummo, & excellenti gradu; ad probationem negandũ eſt aſſumptum, nam ex dictis diſp. 6. de Anima de liberate voluntatis poteſt ipſa ex duobus bonis creatis propoſitis pro ſua libertate eligere minus bonum relicto maiori abſolutè loquendo, ac proindè moveri ad proſequendum minus bonum præſentia maioris boni; prætequã quod in caſu noſtro non erat libera voluntas Chriſti ad utrumque, ut nimirũ ſineret ſe moveri ab obiecto ſummè delectabili, & à triſtifero, ſed tantũ ad alterum illorũ nam ad gaudium beatificum erat neceſſariò determinatus, ut cæteri Beati: ad triſtitiam verò capiendã ex obiectis triſtiferis erat liber, ut alii Viatores: Quarè ſuppoſita Dei diſpẽſatione, ac permiſſione de coexiſtentia utriuſquæ contrariæ paſſionis in eodem ſubiecto in gradu excellẽti, nulla eſt repugnãtia, quin retẽto gaudio beatifico ſimul eliceret triſtitiã, ac proindè liberè in præſẽtia

gaudii beatifici moveri poſſet ab obiecto triſtitiæ, & hæc eſt vera ſolatio rationis dubitandi ab initio quæſtionis propoſitæ, quã amplectuntur Suarez, Vaſquez, Arriaga, Amicus, & alii Recentiores, ac Scotiſtæ melioris notæ.

151 Quæres, nùm in Chriſto fuerit quoque paſſio timoris, & ratio dubitandi eſt, quia timor eſt fuga mali imminentis cum ipſe evadendi 2. Rethor. c. 3. ſed Chriſtus habebat certitudinem de morte, nullam ſpem evadendi; ergo non habuit verè, & propriè timorem, ſed ſolùm triſtitiam.

Concedunt tamen omnes fuiſſe quoq; timorem in Chriſto, & non tantùm in apetitu ſenſitivo, ſed etiam in ipſius voluntate, & ſecundum utramq; portionem, quod manifeſtè ſuadet ſanguineus ſudor eius in horto, quem Patres adſcribunt conſiderationi peccatorum, & offenſæ Dei, quæ pertinent ad ſuperiorem voluntatis portionem, & ſatis conſtat ex illo Mat. 14. *Capit pavere, & tedere*; ratio eſt quia timor naturaliter oritur ex apprehenſione mali imminentis, vel futuri, ſicut triſtitia de malo præſenti, ſed in Chriſto fuit hæc triſtitia, ut ſuprà probatum eſt; ergò etiam fuit timor de malo præviſo, ut futuro; Tùm quia timor eſt fuga mali imminentis, & futuri; Sed Chriſtus habuit hanc fugam, ſeu nolitionem præcipuè circa mortem, ergo &c. Tum tandem quia univerſaliter loquendo, licet affectus triſtitiæ, timoris, & ſimiles habeant aliquam imperfectionem phyſicam, ratione cuius Deo repugnant, tamen ratione humanitatis, quæ ex ſe non redditur omninò incapax earum imperfectionũ phyſicarũ naturę humanę propriarũ, poſſunt verè, & propriè Chriſto cõpetere.

152 Ad rationem dubitandi vari ſunt reſponſiones inſufficientes, quas recenſet, & refellit Bellur. *d. 12. cit. q. 6 a. 2.* undè non eſt recedendum à communi reſponſione, quæ duplicem diſtinguit timorem, unum quidem efficacem, qui movet ad conſultationem mediorum evitandi malum imminens de quo loquitur Ariſt. *loc. cit.* & iſte locum utiq; habere non poteſt, ubi nulla eſt ſpes evitãdi malum, quod timetur, nec eſſe poteſt cum certitudine mali futuri; alterum verò inefficacem, qui eſt ſimplex diſplicentia mali certò futuri, & excludit ſpẽ evadendi illud malum, ac proindè non movet ad executionem, & applicationem mediorum ad illud evitandum, qualis eſt timor cadens in eum, qui torturam ſuſtinere debet, aut aliud tormenti genus a Iudice conſtitutum; & talẽ quoque habet qui ad ſalvandam propriam vitam certè decrevit merces in mare proiicere, & tamen ad eas proiiciendas timet; & qui firmiter ſtatuit potionem amaram ſumere pro ſanitate recuperanda, & adhuc eam timet, quia eam apprehendit, ut amaram, & guſtui diſplicentem; Ex quo deducitur ſpem evadendi, vel incertitudinem mali futuri non eſſe de eſſentia timoris, ut ſic, ſed tantùm fugam, vel diſplicentiam mali imminentis, ſivè certò conſtet eſſe futurum, ſivè ſit dubium; licet igitur Chriſtus ſciret mortem certò futuram, nec ullam haberet ſpem evadendi; adhuc tamen potuit timere, & de facto timuit, non quidem timore, ſeù voluntate efficaci, quæ moveret ad quærenda remedia efficacia contrà malum imminens, ſed per ſimplicem fugam, ac diſplicentiam voluntatis. Vndè timor in præſenti ſumitur pro horrore doloris, vel mali imminentis, qui eò maior eſt, quo malum certius creditur ad futurum, & nulla prorſus affulget ſpes evadendi; Et planè quo magis quis caret ſpe veniæ, eò magis timet imminentes cruciatus, quicquid ſit de altero timore, qui admixtam habet incertitudinem mali; de quo loquitur Ariſt. *loc. cit.*

153 Dices rurſus, timorem repugnare fortitudini, & magnitudini Chriſti. Reſpondeo timorem de malo, quod quis invitus patitur, repugare utique fortitudini; non tamen timorem, ut importat horrorem ex vehementia paſſionis pręcognita procedentem, & cum voluntate efficaci eandem conſtanter tolerandi, quo pacto etiam ſancti Marrires fortiter pro Chriſto tormenta ſubire dicebantur, etiam ſi horrorem ex vehementia martiri apprehenſa ortum omninò excutere ab animo non valerent; De cæteris etiam animi paſſionibus hic diſputari ſolet, an fuerint in Chriſto, & præſertim affectus admirationis, & iræ, de quibus quia eſt res parvi momenti videatur Pater Bellurus *loc. cit.* Alia verò, quæ de Voluntate Chriſti diſputari ſolent, quomodo, ſcilicet, in omnibus actibus ſuis fuerit libera, & præſertim præceptis, iam ſunt diſcurſus *diſp. 3* de Merito Chriſti *q. 9.* ubi examinatur, quomodo Chriſtus habuerit libertatem ad meritum ſufficientem ſalva eius impeccabilitate.

DISPVTATIO SEXTA

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS FIDE, SPE, ET CHARITATE.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid ſit fides, & quodnam eius obiectum, tam materiale, quàm formale.

1 POST tractatum de Incarnatione Dominica ad finem tertii Libri ſententiarum cum Magiſtro agunt Sententiarii de Virtutibus Theologicis, & Moralibus, & primò de Theologicis, tanquam de effectis in nos ex merito Chriſti collatis, Fide, Spe, & Charitate, quæ dicuntur Virtutes Theologicæ; quia immediatè verſantur circa Deum, & ſunt per ſe infuſæ quarè nomen Virtutis Thologicæ hic ſumitur, ut ſignificat ſupremas virtutes Chriſtianas, quibus homo ad ſupernaturalem beatitudinem dirigitur & per ſe infunduntur à Deo, & inoteſcunt ex revelatione divina & doctrina Sciprturæ undè virtus theologica dici poteſt, non ſolùm eo quod eſt circà Deum, tanquam obiectum ſupernaturale, ſed etiam quia eſt a ſolo Deo, tanquam cauſa efficiente utique per infuſionem, & quia per ſolam revelationem divinam agnita eſt; Et quidem fides, quæ eſt in intellectu verſatur circà Deum, quatenus eſt verax in dicendo, ſeù revelando; Spes verò, & Charitas, quæ ſunt in voluntate, verſantur circa Deum, quatenus eſt bonus, licet adhuc ſub diverſis rationibus, ut ex dicendis conſtabit, quæ doctrina traditur à Scoto *3. d. 26 q. v. F.*

2 Pluribus autem modis nomen Fidei uſurpari ſolet. Primò pro fidelitate, ſeù veritate in ſervandis promiſſis iuxtà illud 1. Machab. 10 *præſervate adhuc, conſervate ad nos fidem*; Secundo ſumitur pro promiſſione ipſa, à qua acceptatione ſæpè Deus vocatur in Scriptura fidelis, & verax, Pſal. 114. & 1. Corinth. 10. Tertiò pro fiducia, ſeù ſpe firma, iuxtà illud Math. 14. *Modicę fidei quarè dubitaſti?* Quartò ſumitur etiam pro conſcientia, iuxtà quam acceptationem aliqui dicuntur poſſeſſores bonæ, vel malæ fidei, ſic ad Roman. 14. *omne, quod non eſt fide peccatum eſt*, ideſt, omne, quod eſt contrà conſcientiam, & dictamen rationis. Quintò tandem fides ſumitur pro credulitate, ſeù aſſenſu intellectus, qui, adhibetur alicui aliquid affirmanti, vel aſſerenti, cuius auctoritas, ſi eſt hominis, dicitur fides humana, ſi eſt Dei, dicitur divina, juxtà quam acceptationem poteſt ſignificare tùm actum aſſenſus, quo alteri aliquid affirmanti credimus; tùm etiam habitum, quo ad eiuſmodi aſſenſum inclinamur eliciendum, quæ ſignificatio frequentiſſima eſt in ſacra Scriptura, & apud Patres. Et de fide divina in hac acceptione in hac Diſputatione eſt ſermo, quatenus fides, ut communiter Theologi definiunt eſt quidam habitus intellectualis ad intellectum pertinens, quo infallibiliter, & ſine ulla formidine credimus a Deo revelatis ob auctoritatem Dei revelantis, & eſt noſtrę iuſtificationis initium, & reliquarum virtutum radix, & fundamentum.

3 Fides hoc modo ſumpta definitur ab Apoſtol. ad Hæbr. 11. *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium* dicitur *ſubſtantia rerum ſperandarum*, non quia nõ ſit accidens ſupernaturale pertinens ad genus qualitatis, ſed ut indicetur eſſe fundamentum ſpei, ſupra quod conſiſtit ſpes earum conſequendarum, quia fides eſt, quæ proponit illa eſſe ſperanda, & ſine fide non poteſt quis habere ſpem ſupernaturalem, quæ ſperet illas, & proprium eſt fidei fulcire ſpem, & fiduciam, non enim poſſet homo ſperare, niſi crederet, qua ratione idem Apoſtolus dixit, impoſſibile eſſe hominem ſine fide Deo placere. Dicitur *argumentum*, quia ſecundum Auguſtinum fides eſt convictio intellectus, ſiquidem fides debet eſſe aſſenſus non minus firmus, & certus, quàm ſit aſſenſus evidens, quo intellectus convincitur, & ex neceſſitate inducitur ad aſſentiendum. Dicitur tandem *non apparentium*, ut ſignificetur fidem debere eſſe rerum, aut veritatum, quæ non videntur, nam debet eſſe aſſenſus rebus obſcuris, quæ, ſcilicet, non ſunt neque ex ſe, neque ex principiis, ex quibus deducitur aſſenſus, claræ, & evidentes; per quod etiam actus fidei ab omni actu evidente ſecernitur, & ulterius indicatur ratio aſſentiendi, quæ debet eſſe auctoritas Dei; non enim aſſenſus obſcurus poſſet eſſe ità certus niſi in auctoritate Dei nitetur, undè vult fidem eſſe aſſenſum rebus obſcuris propter revelationem. Quarè ſcholaſticè loquendo fides actualis ſupernaturalis definiri poteſt, quod ſit actus ſupernaturalis, quo quis aſſentitur, aut diſſentitur alicui propoſitioni ex eo quod Deus illam revelaverit; fides verò habitual ſupernaturalis

turalis eſt habitus, quo mediante fides actualis produci poteſt; non enim melius definiri poteſt habitus, quàm per ordinem ad actum; quia verò per actum tendit in obiectum, ideò in hac quæſtione quærimus circà quod obiectum verſetur.

4 Deindè, quia cuiuſcunq; habitus cognoſcitivi duplex ſolet aſſignari objectum, unum materiale, quod dicitur res ipſa conſiderata; alterum formale, quod dicitur modus, vel ratio conſiderandi, pænes quod tantùm habitus cognoſcitivi ſolent ſpecificari, atque diſtingui; ſicut in Pyſica obiectum materiale *quod* eſt corpus naturale, ratio verò formalis eſt, quatenus naturale, etenim corpus naturale præciſè etiam ab aliis ſcientiis conſiderari poteſt; Sic pariter in propoſito duplex eſſe poteſt obiectum fidei, de quo præſens inſtituitur quæſtio, ſcilicet, materiale, & formale, quod ſupra materiale addit rationem illam formalem, ſub qua fides ſuum obiectum conſiderat; formale enim obiectum cenſetur illud, quod eſt motivum, & ſpecificativum ipſius actus, ſivè determinativum potentiæ, & habitus ad agendum circà materiale obiectum. Sic pariter in actibus voluntatis obiectum materiale eſt illud, quod amatur propter aliud; obiectum verò formale eſt illud, propter quod aliud amamus v.g. ſi amas medicinã propter ſanitatem, medicina eſt obiectum materiale, ſanitas formale, quia quaſi informat medicinam, & conſtituit in eſſe obiecti motivi; ſiquidem ſecundum ſe voluntatem non moveret, induta tamen bonitate ſanitatis allicit ad ſui amorẽ, licet ſit aliquod diſcrimen inter obiectum materiale, & formale voluntatis; & intellectus ex dictis *diſp. 12. log. q. 1. art. 1.*

5 Demum, quia obiectum formale virtutis eſt medium, per quod voluntas inclinat in obiectum materiale talis virtutis, advertendum eſt, hoc medium interdum eſſe intrinſecum obiecto ut in obiecto ſcientifico eſt ipſa intrinſeca connexio prædicati cum ſubiecto, quæ ſeipſa movet ad aſſenſum concluſionis; bonitas intrinſeca Dei eſt medium, quod voluntati propoſitum movet illam ad dilectionem ipſius; Interdum verò eſt extrinſecum, ſicut medium in exemplo proximè adducto, propter quod voluntas appetit medicinam, eſt ſanitas extrinſeca medicinæ, ac in propoſito in fide humana, & divina medium, propterquod intellectus aſſentitur rei atteſtatæ, eſt ipſum teſtimonium hominis, aut Dei atteſtantis, quod extrinſecum eſt rei atteſtatæ his præacceptis pro notitia tituli quæſtionis accedamus ad eius reſolutionem.

ARTICVLVS PRIMUS:

Quid dicendum ſit de obiecto materiali fidei.

6 PRimò Dicendum eſt, quod ſi loquamur de obiecto fidei materiali, & incomplexo, & aliquod unum ex pluribus obiectis incomplexis fidei ſtatui debeat, quod ſit obiectum eius adęquatum, hoc commodius poni non poteſt, quàm Deus ipſe. Hęc concluſio probatur, & explicatur, nam obiectum fidei eſt duplex unum de quo aliquid creditur, alterum quod creditur, ſicut obiectum ſcientiæ, unum eſt, de quo ſcitur, alterum verò, quod ſcitur, obiectum ſcientiæ; de quo ſcitur, eſt incomplexum, ſcilicet ſubiectum concluſionis, quod verò ſcitur eſt concluſio complexa, ut dictum eſt *diſp. 12. log. q. 1. art. 1.* Cùm igitur in propoſito fides tendat in Deum, tanquam in obiectum materiale inconplexum, dùm credit Deum eſſe trinum, & unum, omnipotentem, immenſum, nec ullum aliud obiectum aſſignari poſſit ex incomplexis, ad quod omnia credita reduci poſſint, & habere attributionem, nullum aliud commodius ipſo Deo ſtatui poteſt obiectum fidei, ad quod cætera attributionem habeant, ut inquit Scot. *3. diſt. 23. q. un. ſub G* dicens, quod oportet ponere fidem infuſam propter firmum aſſenſum, ut reſpiciat Deum pro obiecto primo, de quo ſicut de obiecto aliæ formantur veritates, quæ continentur in articulis mediatius, vel immediatius, ſecundum quod ipſum ſic, vel ſic, reſpiciunt, quod clarius dici non poterat, quod etiam anteà dixerat §. *aliter poteſt poni.* Conf. nam illud eſt obiectum attributionis habitus cognoſcitivi, ad cuius pleniorem cognitionem referuntur omnia alia, quæ per talem habitum cognoſcuntur; ſed omnia, quę cognoſcuntur, & creduntur per fidem eò ſpectant, ut pleniorem de ipſo Deo cognitionem habeamus, quoad fieri poteſt in hac vita; ergò Deus eſt obiectum materiale incomplexum attributionis fidei. Denique id manifeſte deducitur ex ſymbolo Apoſtolico, ubi primus fidei articulus numeratur ille *Credo in Deum*, &c. quia ſcilicet eſt obiectu præcipuum fide, quo omnia reliqua credibilia reducuntur: & conſonat Aug. lib. 4. de Ciu. Dei c. 20 *fidei unum, & primum, ac maximum officium eſt, ut in unũ credatur Deum:* Hac igitur de cauſa Deus appellari debet ſubiectum attributionis noſtræ fidei, quia ad ipſum referuntur omnia, quæ ſub fide divina cadunt, quæcunque enim per fidem apprehenduntur, dicunt reſpectum ad Deum, vel cognoſcendum, vel ſperandum, amandum, poſſidendum, vel ſunt perſonę divinæ, vel attributa divina, vel effectus miſericordiæ, & bonitatis Dei; vel iuſtitiæ illius: itaut Incarnatio quoque ipſa referatur ad Deum, tanquàm illa, quæ nobis viam in Cælum aperuit, ut reconciliaremur Deo, & ipſius gloriam obtineremus, qua ratione à quibuſdam Deus, ut Deus, appellatur obiectum formale quod fidei.

7 Negat Vulpes *tom. 2 p. 3. diſp. 30. art. 2.* dari hoc obiectum ſimplex unum materiale adæquatum noſtræ fidei, ſed ait, tale obiectum eſſe Deum volentem legaliter hominem beare; quod probat, quia omnia à nobis credenda de neceſſitate ſalutis ſub formali motivo veracitatis Dei revelantis ad beandum hominem ordinantur ſaltem ex extrinſeca ordinatione divinę voluntatis; ergò ſub Deo voluntate hominem beare habent unitatem adæquationis ſecundum virtualem continentiam omnia à nobis credibilia de neceſſitate ſalutis. Sed hæc eſt opinio Gregorii Arimenſis *q. 4.* prolog. *art. 2.* & quorundam aliorum Nominalium ſtatuentium Deum obiectum fidei noſtræ ſub ratione Salvatoris, vel glorificatoris, quia omnia, quæ revelantur per fidem ordinantur ad hominum ſalutem, & gloriam iuxtà illud Io. 20. *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis, & credentes vitam æternam habeatis in nomine ipſius* Quę quidem opinio communiter, ut falſa refellitur etiam ab ipſis Scotiſtis, ut fatetur Vulpes, quia per fidem non ſolùm cognoſcimus Deum, quatenus creator, glorificator, & juſtificator eſt; ſed etiam quoad alia prædicata omninò intrinſeca, & neceſſaria ipſi Deo, ut eſſe unum, trinum, bonum &c. nec refert, quod fides ad noſtram ſalutem ordinetur, & gloriam, nam hæc etiam ordinantur ad gloriam ipſius Dei.

8 Nec Scotus unquam, quod viderim, unitatem habitus fidei auſpicatus eſt ex unitate Dei volentis hominem habere, ita quod ſub Deo volente hominem beare habeant unitatem adæquationis ſecundum virtualem continentiam omnium à nobis credibilium imo 3. diſt. 25. q. 2. in fine loquens de unitate habitus fidei inquit, quod hanc unitatem habet, vel ab unitate revelantis credibilia quia omnia reſpiciuntur à fide, ut revelata à Deo, & hæc formalis ratio eſt una in omnibus; vel quod habet unitatem in ſe formaliter ex ſeipſa, quamvis illam effective habeat à Deo, & non habeat unitatem ex aliquo, ut obiecto, ſicut ſcientię cauſatę ab obiecto; Qua ratione conditionatè dixi in concluſione; & non abſolutè, quod ſi aliquod unũ ex pluribus obiectis incõplexis fidei ſtatui debeat, quod ſit obiectũ eius adęquatum, hoc commodius poni non poteſt, quàm Deus ipſe; conditionate, inquã, ſum locutus, quia in rigore loquendo inquit Doctor *lo. c.* quod fides infuſa tantam unitatẽ habere non poteſt ex obiecto primo ſcilicet, Deo ſub ratione Deitatis, ſicut habent aliæ ſcientę cauſatę ab obiecto quia Deus non movet in ratione obiecti ad cognitionẽ omnium credibilium, nec in Deo ſub ratione Deitatis continentur virtualiter omnia credibilia, itaut ex illo deduci poſſint; licet enim Deus ſub ratione Deitatis contineat virtualiter omnia credibilia neceſſaria, & ut volens omnia credibilia contingentia: quia tamen Deus nõ videtur à nobis intuitivè, & in particulari pro ſtatu iſto qui eſt ſtatus fidei, ideò nec credibilia concipiuntur in Deo, ut in obiecto primo in particulari, licet contineat omnia, ut cauſa effectiva omniũ: Undè reſtat, inquit Doctor, quod ſi aliquam unitatẽ ex obiecto ei tribuere volumus, aliã tribuere non poſſumus, niſi quę deſumitur ex unitate revelantis, quia omnia reſpiciuntur à fide, ut revelata à Deo, & ſub hac ratione formali obiectiva omnia creduntur, & hoc pacto Paulus ad Epheſ. 4. ex unitate Dei revelantis deducit unitatem fidei dicens *Vnus Deus una fides.*

9 Arriaga *tom. 5. tract. 1. diſp. 1. ſect. 1.* aliter reſpondet, & inquit, quod eſtò Deus ſit, qui pręcipuè proponitur credendus, non ideò ſequitur, illum eſſe obiectum attributionis, non enim eſt idem obiectum præcipuum, & attributionis, hoc enim non ſignificat obiectum illud, quod nobilius eſt inter obiecta ſcientiæ, ſed illud, ad cuius cognitionem aliorum obiectorum cognitio ita ordinatur, ut quaſi ex cognitione eorũ omnium inferatur cognitio illius, quod dicitur attributionis obiectum. Hinc ſit ut communiter dicatur obiectum attributionis Phyſicæ corpus naturale, ut ſic, cùm tamen hoc non ſit in ſe nobilius homine, quod includitur inter obiecta Phyſicę: Et planè ſi nomine obiecti attributionis ſolùm ſignificaremus nobiliſſimum obiectum alicuius ſapientiæ, vix unquam locus relinqueretur dubitandi in Scientiis quodnam eſſet obiectum attributionis, nam ſtatim apparet, quod ſit obiectũ nobilius, non autem apparet ſtatim quod ſit illud, ad cuius perfectam notitiam omnium aliorum notititia ordinatur, In propoſito autem ad cognitionem Dei perfectiorem non ordinantur omnia à nobis credita, non enim ordinatur actus, quo credo Saulem quæſiiſſe aſinas & canem Tobiæ moviſſe caudam, & alia multa, quæ in Scriptura habentur, quarè concludit, accipiendo obiectũ attributionis in ſignificatione propria iam explicata, fidẽ non habere Deum pro obiecto attributionis, imò neq; ullum aliud tale obiectũ, in quo ſenſu intelligit Scotum *3. d. 25. q. 2.* negantem fidem ordinari ad Deum, & tandem inquit rationes pro concluſione allatas probare ſolùm, quod Deus eſt obiectũ principale, & nobilius fidei, non verò adequatum, & attributionis.

10 Planè negari non poteſt in hoc puncto plures, & graves Auctores hallucinatos eſſe, confundentes obiectum præcipuum, & principale fidei cum adæquato, & totale attributionis; & ex hoc quod Deus ſit obiectum principaliſſimum noſtræ fidei dedu-